

1177

1994
A
1386





DISPUTATIO FEVDALIS

Iuris istius

Nobilioribus ex eodem petitis ac insertis
Quæstionibus

SYNOPSIS

exhibens,

QVAM

Diuinâ aspirante Clementiâ,

PRÆSIDIBVS

Clarissimis & Consultissimis VV. ac DD.

Dn. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &
Dn. ARNOLDO MAES, SS. LL. Licentiato,
respectiuè Dictatore & Fisco.

In Amplissima Iuridica Facultatis, quod in celeberrima Agrippi-
nensium Academiâ habetur, Acroaterio

Publicæ ac placidæ disquisitioni submittit


DANIEL MÜLLER / Lubecâ-Saxo,

Anno clō. Io. c. xxx. die 25. April.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.





QVOD FOELIX FAVSTVMQVE SIT!

THESIS PRIMA.

Fvs omne, quo in Imperio Romano-Germanico hodie utimur est vel Publicum vel Priuatum, *iuxta* §. 4. *Inst. de I. & I.* Vtriq; licet sua constet dignitas, ipsaque per se pateat in quauis bene constituta Politia necessitas, alterum tamen cum altero si quis conferre velit, hoc ab illo multis superari parasangis non inuitus credo concesserit. Istius autem iuris nobilissima & in forensi strepitu frequentissima habetur portio, quæ est de Feudis. Quorum iura cum in fidelitate & fide publica consistant, non immerito à multis dicuntur, *teste Gædd. in præf. ad disp. feud.* fulcra Germanico-Romani Imperij, salus Principum, & anchora Rerumpublic. Vnde quoque non poenitendum me insumenturum putari laborem, si quantum Supremo feliciter annuente Numine, temporis, instituti, & ingenioli mei feret conditio, perutilè hanc cognituque necessariam materiem paucis aliquot, disputantium more, thesibus includerem.

2. Atq; ut rem à capite vsq; arcessamus, quæ sit FEVDORVM ORIGO variè inter se altercantur Dd. dum alij ab exordio prope mundi vna cū ipsa liberalitate feudum, quod illud dicatur beneficium extitisse autumant. Alij ad certam aliquam gentem referunt, & hi iterum miris inter se modis dissident. Nonnulli ex iure nostro ciuili originem repetunt, adductis scil. quæ de militijs l. 30. C. de inoff. test. N. 53. c. 5. N. 97. c. 3. & 4. fundis limitrophis, l. 2. & 3. C. de fund. limitr. lib. II. tit. 59. stipendiarijs & tributarijs prædijs, §. 41. I. de R. D. clientelis, l. 7. §. 1. de capt. & postl. reu. l. 3. de vsu & hab. cum sim. iunct. c. vn. 1. F. 10. c. vn. 1. F. 13. Oldend. class. 5. de act. benefic. sub init. Cuiac. in prolegom. p. (mihi) 4. hominibus vid. Cui. d. l. p. (m.) 2. habentur. Mihi verior videtur, quæ & magis communis, illorum opinio, qui à Longobardis feudorum consuetudines profluxisse statuunt, quamuis non inficias eam illorum originem cum ipsa cepisse Politia, saltè materialiter cum omnes ferme gentes suos habuere milites, præfides, præfectos vassallis nostris quam simillimos.

3. Formam igitur iuris feudalis eiusque perfectionem acceptam referimus Longobardis è Saxonibus oriundis *v. post Carion. & Melanch. in vita*

Iustin. ii. & Carol. Magn. VVesemb. in æcon. iur. feud. statim sub init. lit. B. & de feud. c. 3. n. 2. Fachin. 7. controu. 1 qui circa annum Dn. 568. Italiam inuadentes è patria sua leges & consuetudines feudales secum attulerunt. Et licet regnum illorum 200. circiter annos à Caro'o Magno funditus sit euersum, consuetudines tamen feudales inter eosdem receptas, quod æquissimas illas & stabiliendo imperio vtilissimas cerneret, intactas reliquit. Et sic vsu primitus introductum receptione latius serpsit, quod hodie in Academijs docetur, in iudicijs & curijs exercetur Ius Feudale.

4. Quemadmodum autem omne ius quo vtimur, constat aut scripto, aut sine scripto, *l. 6. § 1. de I. & I.* ita hoc nostrum, quoque feudale non incommode in illas dispecimus partes, ad ius scriptum referentes, quæ diuersæ in vsibus Feudorum occurrunt constitutiones *arg. §. 6. I. de I. N. G. & C.* pro iure non scripto habentes quæ de consuetudinibus ciuitatum Longobardarum, Cremonæ, Ticini, Mediolani, Mantuæ, Veronæ, &c. in iisdem passim extant.

5. Quorum LIBRORVM COMPILATORES vulgo constituuntur, à plerisq; etiam recentioribus, ita vt in hoc omnes Interpretes consentire dicat *Borch. de F. c. 2. n. 28.* Gerardus Niger, & Obertus de Orto; à quorum tamen sententia motus aliorum Neotericorum argumentis non inuitus discedo.

6. Sed quamuis priuati incertiq; fuerint homines, qui has in scripturam (scriptura autem non facit quo minus sit maneatve consuetudo) congefferint consuetudines, AVT ORITAS tamen illarum tanta, vt legis vim obtineant *arg. l. 32. de ll. & secundum illas iudex necessum habeat pronunciare, nisi litem velit suam facere, l. 15. §. 1. de iudic. iunct. pr. 1. de off. iud. obligentq; cum in Imperio receptæ sint omnes eidem subiectos, siue laici sint, siue Clerici, arg. c. vn. 2. F. 20. c. vn. §. item si. 2. F. 40. c. 1. & 2. ext. de feud. c. 5. de iudic.*

7. Vtrum vero extra causas feudales adhiberi quoque ius possit feudale, non sat expedita videtur quæstio. Affirmatiuæ tamen sub certis limitationibus subscribo. Quemadmodum etiam si in casu feudali, ipso iure feudali non deciso, ius ciuile à Canonico discrepet, quodlibet in suo foro suisq; causis sequendum arbitror. *fac. c. nouit. 13. X. de iudic.* si quid autem iure feudali definitum non sit, vel ad ius commune, vel speciales locorum, familiarum, &c. consuetudines & pacta recurrendum erit, *c. vn. 2. F. 1. vers. strenuus. & ibi FF.*

8. FEVDI NOTATIONEM variam afferunt Interpretes, vt si vllibi, certe hîc locum habeat, quod dicitur in Etymologijs diuinare licitum esse. Nos vt textui & rationi congruam probamus opinionem, quæ à fide seu fidelitate deducit *tx. in c. vn. in fin. 2. F. 3.* cumque non possit remitti fidelitas ceu forma essentialis merito vt substantiam, ita & nomen, à fide recipiet.

9. Vocabulum feudi non vnam in txx. feudalibus habet SIGNIFICATIONE-

TIONem. Interdū enim pro re in feudum data, *c. 1. §. 1. 2. F. 8. c. 1. vers. si vero.*
2. F. 22. & c. interdum pro contractu (& quidem nominato. an bonæ fidei
vel stricti iuris? posterius magis placet, quanquam hæc scrupulose inda-
gare nihil attinet, cum id ex natura obligationis seu negotij inuestituram
precedentis æstimandum sit) per quem vasallo ius in re constituitur, *c. 1.*
cir. fin. 1. F. 28. c. 1. §. 1. vers. per feudum tamen. 2. F. 3. interdum pro ipso iure in
re feudali per contractum constituto sumitur *c. vn. 1. F. 25. c. 1. §. fin. 2. F. 1.*
Quin etiam pro ipso iure dominico, quod Dominus directus habet, poni
videtur, *c. 1. §. fin. 2. F. 8. c. 1. vers. nam & illud. 2. F. 17. c. 1. §. 1. in pr. 2. F. 34. c. 1.*
vers. praterea. in fin. 2. F. 5. Interpretes quoque pro tractatu habito, & actu
inuestiendi contrahendique passim illo vtuntur, *Gadd. disp. feud. 1. th. 12.*
lit. D. Nos tertiam potissimum significationem attendimus.

10. Vnde & superhabitis aliorum, quas pro parte recenset, & exa-
minat Vult. 1. feud. 2. DEFINITIONibus nos ipsius Vultej *d. l. n. 9.* ample-
ctimur, quod Feudum sit vsusfructus quidam rei immobilis sub condi-
tione fidei constitutus.

11. Apparet hinc quæ & quot feudi constituent substantiam, eaque
pactis alterari nequeunt. sed quæ contractus istius naturalia seu admini-
cula concernunt, pactis & conuentionibus, modo non legibus, aut bonis
moribus refragentur, subiacent, *c. 2. §. 2. 1. F. 14.* qualia pacta sunt, quæ de
seruitijs præstandis, successione, alienatione, amissione feudi, & c. inter-
ponuntur; inter quæ numero pactum, vt filij ex secunda vxore non succe-
dant; vt pater feudum perdat ob delictum filij; vt ob ingratitude non
quidem feudum ipsum amittatur, sed certa pecuniæ summa pœnæ nomi-
ne pendatur. in quibus & similibus locum obtinet FF. illud Brocardicum:
Tenor inuestituræ derogat omni feudorum naturæ. Apparet simul quid
differat Feudum ab Allodio *t. t. de allod. 2. F. 54. c. 1. in fin. 2. F. 17. c. 1. §. 1. 2. F. 26.*
Emphyteusi, *t. t. ff. si ager vect. pet. & C. de iur. emph.* Libellario contractu,
c. vn. 1. F. 13. c. 1. §. 1. 2. F. 9. precarijs *c. 1. in fin. 1. F. 9. ibique Gothofr.* quæ
omnia latius deducere propositi nostri ratio non patitur.

12. Recta igitur definitionem excipit DIVISIO, in qua ita mirifice con-
flictantur Dd. vt Terentianum illud: quot capita, tot sensus, omnium opti-
me huc applicari posset. Solent tamen vt plurimum, & possunt ad certas
redigi causarum vel pactorum classes. Et ratione quidem causæ efficientis
aliud est Nobile, idque vel Regale vel Non regale; aliud Non nobile: aliud
Masculinum aliud Fœmininum: aliud Nouum, aliud Vetus. Ratione mate-
riæ feudum tribuitur in Corporale & Incorporale; Ecclesiasticum & se-
culare; quod est in Curte, & quod Extra curtem Dominicam. Ratione for-
mæ est vel Ligium, vel Non ligium.

13. Summa autem & prima diuisio non incommodè perhibetur, quæ
feudum in Proprium & Improprium, seu Rectum & Degenerans dispec-
tur. Istius species iam sunt enumeratæ, & proprio feudi iure censentur, vel,

vt alibi Feudista loquitur, communem feudi rationem habent: à quâ si pactis contrahentium in aliquo recedatur, iam improprium esse incipit, cuiusmodi est feudû Francum, ex pacto in Feminas Transitorium; Pignoratium; Emtum (quod tamen nescio an *cum Sonsbec. p. 2. n. 7. & seqq.* proprijs adnumerare liceat, cum pecunia feudi naturæ nihil adimat) Pensionarium, Iniuratum, propriè Hereditarium (cui opponitur propriè Non hereditarium, quod etiam ex pacto & prouidentia à Dd. appellari solet, & recti feudi species est) Conditionatum vel certi seruitij; Temporale (qualia sunt feuda Habitationis; Soldatæ; de Camera & Cauena; Guardia, Gastaldia, Cancellariatus, Aduocatiæ & similia) Alienabile, aliaque infinita, quæ copiosius ex arboribus feudalibus & tractatibus poterunt dignosci.

14. Nos inde pro instituto nobiliores aliquot decerpemus quæstiones, quarum è numero habetur, quæ de probanda ex feudis nobilitate variè agitari solet. In qua longius à vero abesse puto, qui illam ex effectu seu feudo ipso metiuntur, rectius autem sentire, qui à causa efficiente reperiunt, feudum scil. concedentis cum potestate, tum voluntate; nec sufficit alterutrum, cum feuda ab illis sine nobilitate, & nobilitas sine feudis dari possit. vnde fit, quemadmodum monet *Rosenth. c. 2. de feud. concl. 2. n. 9.* vt interdum de Ducatu aut Comitatu aliqui inuestiantur ab Imperatore, nec tamen gerant se pro talibus, nec salutentur tales, sed solum appellentur possessores, *Einhaber der Graffschafft oder Herrschafft.* Ex dictamine tamen iuris nostri feudalis, si Imperator aut alius potestate nobilitandi præditus feuda ex consuetudine nobilia, veluti Ducatum, Baronatum alicui concesserit, in dubio quoque voluntatem conferendæ nobilitatis habuisse censèbitur, *arg. c. 1. pr. 2. F. 10.* maxime si concurrant nonnullæ circumstantiæ, ex quibus præsumptio hæc firmetur, *Cui. 2. F. 10. Vult. 1. F. 8. n. 21. in fin.* in Hispania vero omne feudum, pro quo secundum vsum ac consuetudinem illius regni præstatur seruitium militare nobile censerit ex *Nicol. Intrigl. refert Gothofr. Anton. disp. feud. 2. thes. 6. lit. B.*

15. Hinc alia non inelegans repullulat quæstio, vnde nimirum proflexerit, quæ hodie non infrequens, feudorum regalium diuisio? Et placet Vultej coniectura *1. feud. 8. n. 75.* existimantis etiam ante Fridericum vt successionem, ita diuisionem quoque in illis vsu fuisse receptam, *arg. c. 1. §. praterea Ducatus. 2. F. 55. ibi, de cetero non diuidatur.* vt mirum non sit, si nostris moribus ab hac constitutione recessum, & ad antiquam feudorum consuetudinem reditum sit. Secus tamen adhuc est in Regno & Electoratu, in quibus dispositio, *d. §. praterea.* etiamnum obtinet.

16. An feudum in dubio potius masculinum, quàm fœmininum censerit debeat quæstio controuersa est? prius affirmo, nisi consuetudine aut statuto loci receptum esset, vt ad fœminam deoluatur successio, *Arum. disp. feud. 2. th. 32.* Cui affinis illa, si de feudo pariter inuestiti sunt maritus & vxor

& vxor, num feudum illud fœmineum, vel masculinum, vel vt vult. *Pist. l. 7. q. 34. n. 28. Cui. 1. F. 2. §. item si Episcopus. p. (m.) 61. Niell. D. feud. 1. th. 7. mixtū?* Et puto ad exemplum reliquorum mixtorum id quod potentius est, inspi-
ci debere. Quâ ratione pro marito erit respondendum, præsertim cum nõ
facilè à διχοτομίαις ad τριχοτομ. prolabi debeamus. *Sueu. disp. feud. 1. th. 7.*

17. Circa hunc articulum vltcrius quærere lubet, an feudum à fœmina
concessum sit fœmineum? Et Negatiuæ astipulor, *arg. c. 1. fi. 1. F. 1.* Num vero
in feudo fœmineo vt fœminæ succedant, pacto speciali opus est; *Nego, c. vn.
2. F. 30.* extantibus tamen maribus interim non admittuntur. Ad quod au-
tem fœmina ex pacto admittitur, num fœmineum sit, quæstionis est? Et ite-
rum Negatiuæ adhæreo, cum hoc tantum procedat quoad effectum illum
succedendi, feuda vero, eorumq; denominatio à suo principio & prima ræ-
dice repetenda sit, *arg. l. 33. de donat.*

18. An feudum nouum iure antiqui possit concedi, ardua videtur quæ-
stio, vt ex *Curt. Iun. referat Schrot. Disp. feud. 2. th. 5.* omnia Italiae collegia
in ea fuisse consulta. Affirmatiua verior: licet enim nouum sit maneatue,
donec in successores ista inuestitura comprehensos deoluatur, ratione
tamen iuris & effectus, vetus esse fingitur. Non ita se res habet, si è contra-
rio feudum antiquum iure noui conferatur, cum diuersitatis ratio non
vna, nisi agnati mutationi consenserint, vel ad minimum ratam eandem
habuerint. *Myns. cent. 4. obs. 83. cum seq. & cent. 2. obs. 94.*

19. Intricatiõ videtur quæstio, an feudum in dubio præsumatur anti-
quum vel nouum? placet hac vice sententia illorum qui pro antiquo con-
cludunt, *arg. c. vn. circ. fin. 2. F. 11. c. 1. pr. 2. F. 26.* quanquam etiam *Fachin. 7.
controu. 19.* opinio pro nullo præsumentis, sed probationem ab vtraque
parte exigentis, qua iam præstita iudicem æstimare oportere cuius iureiu-
rando decidenda sit quæstio citatis txx. valde videtur conueniens. In altera
quoque non minoris difficultatis quæstione, an feudum indefinitè conces-
sum præsumatur in dubio hereditariū, vel ex pacto & prouidentia? à par-
tibus illorum stamus, qui huius quam illius efficaciorẽ esse præsumtio-
nem asserunt. Eaquẽ sententia præiudicio Camerali stabilitur teste *Myns.
cent. 4. obs. 2.*

20. Feuda Camerae & Cauenæ vtrum in hæredes transeant, & perpetua
sint, an verò morte dantis vel accipientis extinguantur, dubio non caret
Posterius approbamus in *thes. 13.* Sed & prius nisi mere gratuita sint Ca-
meræ & Cauenæ feuda, *c. 1. in fin. 2. F. 10.* aut pro mercede temporalis offi-
cij data, *c. vn. 1. F. 2. c. vn. in fin. 1. F. 11.* sed pro solitis seruitijs feudalibus in
aliquem collata, non omnino videtur à iuris feudalis ratione alienum,
quo faciunt txx. *in c. 1. §. sciendum. 2. F. 1. c. 1. 2. F. 2. c. vn. 2. F. 20.* Natura ta-
men illorum est, vt non debeantur nisi sit, vnde solui possint, *c. 1. pr. 2. F. 58.*
Quod & procedit in casu, quo certi loci, ex quo feudum hoc præstandume-
facta demonstratio, isq; amissus, vt non teneatur Dominus, etiamsi Cam fa

ra satis sit locuples, *VVurmbf. lib. 1. tit. 51. obs. 2.* quem tamen locum si recuperat Dominus, reuiuiscet etiam ius feudi, *d. c. vn. 2. F. 58.* idq; ad tempus quoque præteritum volunt extendi *Dd. arg. l. 17. §. 1. de annu. legat.* quod tamen duriusculum, vt non sine causa à nonnullis impugnetur.

21. Ecclesiastica feuda cum non dignoscantur à personis, sed à rebus in feudum inductis (licet interdum sed abusiue Ecclesiasticum dicatur, quod ipsi Ecclesiæ conceditur *c. 1. §. fin. 2. F. 40.*) Clericus feudum seculare recte possidebit, & contra. Ex quo id est quod scribit & probat, *Geil. 1. obs. 30. n. 4. 5. 6.* Ecclesiasticos ratione bonorum quæ ab Imperio in feudum recognoscunt, nõ considerari vt Ecclesiasticos, sed vt Principes, Comites, vel Status Imperij. Abutuntur vero nonnulli trito illo Germanico *der krumb Stab schleust niemand auß/* dum feudum hinc Ecclesiasticum suã naturã improprium & in foeminas transitorium esse affirmare non dubitant. Verum cum *xxx.* rationes, & ipsa repugnet experientia, eadẽ illud facilitate reiicitur, qua admittitur, quamuis non negem de speciali consuetudine aut priuilegio quorundam Ecclesiasticorum feudorum foeminas esse capaces, quod latius deductum vide ap. *Gothofr. Anton. D. feud. 1. th. 4. lit. D.*

22. Ligius an quis esse possit vnus, alterius vero subditus non satis inter se conueniunt *Dd.* Vasallum sanè propriè & absolutè ligium neque subiectionis, neque vasallitica fide vlli alij æquè addictum esse posse statuendum videtur. vnde est, quod eiusmodi ligiam fidem non cadere nisi in eum, qui feudi Domino immeditate subijcitur, nonnulli inferant. Quin tamen ligius qui est Imperatoris, nihilominus alterius Principis, in imperio constituti quoad certa bona Landsassius esse queat & subditus, non videtur dubitandum, per ea quæ tradit *Geil. de arrest. imp. c. 6. n. 14. cum seqq.* vt maximè vero quis esse possit plurium Dominorum vasallus non ligius, aut vnus quidem ligius, alius vero non ligius, fieri tamen non potest, vt quis duorum aut plurium vasallus absolutè ligius existat, *c. 1. §. 2. 2. F. 52.* ne quidem consuetudine *Vult. 1. feud. 8. n. 34.* ac ne respectu quidem diuersarum rerum, præterquam ex post facto per successionem, quo casu vasallus duplicem intelligitur sustinere personam *c. vn. 2. F. 99.*

23. Hactenus de origine atque autoritate iuris feudalis, eius cum definitione, tũ diuisionibus. Sequuntur *P E R S O N A E* feuda Dantes & Accipientes. Quemadmodum enim totum ius quo vtimur, circa personas, res, & actiones versatur, & in acquisitione, conseruatione, & amissione consistit, *l. fin. de ll.* Ita & ius feudale circa eadem occupatur, & in iisdem vertitur.

24. Atque vt à personis feuda conferentibus incipiamus, sunt illi in duplici potissimum differentia, *Ecclesiastici* videl. & *Seculares.* vtrique ius infeudandi concessum. Et inter illos quidem primas sibi vendicat Pontifex Rom. quem sequuntur legatus de latere, hunc tamen ad bona Ecclesiarum legationis suæ infeudanda speciale oportet habere mandatum *arg. c. 8. CAUS.*

caus. 25. q. 2. c. 2. 3. 4. de offic. legat. Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, item Abbas, Abbatissa, Præpositus, si antiquitus consuetudo eorum fuerit feudum dare, *c. 1. pr. 1. F. 1.* inferiores Prælati sine consensu Superioris infeudare nequeunt. *Bald. in. d. c. vn. 1. F. 1. allegatus à Lindeman. exerc. feud. 1. c. 2. th. 62.* Vacante vero sede Episcopali Capitulum rectè infeudat, nisi Ecclesia sit cathedralis, *Sonsbec. p. 6. n. 4. arg. c. 1. & 2. & ibi Dd. X. ne sede vac. aliq. in nou.* Prælati ipse etiam sine consensu Capituli liberè potest feudum ad se reuersum alij in feudum dare, *c. 2. X. de feud.*

25. Hinc quæri solet, an personæ Ecclesiasticæ suis consanguineis etiam feuda ad se reuersa conferre possint? Et in Affirm. communiori Dd. calculo itum est, si hoc cum Ecclesiæ utilitate fiat, etsi Oeconomis de iure ciuili Emphyteusin Ecclesiasticam consanguineis concedere nō liceat, *N. 120. c. 5.*

26. Inter *seculares*, præminet ceu omnium feudorum ac dignitatum fons & scaturigo Imperator mundi Dominus, *l. 9. ad L. Rhod. de iact.* qui superiorem nullum recognoscit, & feudum imperio apertum etiam non requisito Electorum consensu reinfeudare potest. *Qua de re tx. expressus in A. B. c. 7. §. si verò aliquem.* adde *Rosenth. c. 5. concl. 12. n. 2. 3.* A qua num posteriorum Imperatorum capitulationibus sit recessum, est sanè quod dubites, vt & vltèrius cogitandum relinquit *Rosenth. c. 10. concl. 38. n. 32. vide interim Arum. ad d. c. 7. p. 201.* in Electoratibus autem ius illud incorrectum permansit. *Benedict. Carpzou. in disp. de regal. th. 117.* Regi quoque Romanorum hoc ius competit, quemadmodum & illis, qui eodem Superioritatis gradu gaudent nullum superiorem recognoscentes, vt sunt Reges Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, &c. ad quam classẽ quoque pertinent Veneti, idemque de Florentinis dicit *Curt. Iun. citatus ab Arum. disp. feud. 3. th. 13.* Qui tamen si maximè in suis ditionibus creent Duces, Marchiones, Comites, non tamen reuera tales sunt: sunt enim hæ dignitates ab Imperio Romano, & sunt dignitates ciuiles. Et vt maximè pro illis habeantur, nō tamen in Imperio Romano, *Vult 1. feud. 4. n. fin.* Hac vero occasione, an ciuitatibus ius hoc concessum sit quæritur? Puto quod sic, si sint Imperiales liberae: sunt enim status imperij. *Geil. 2. obs. 57. n. 7. & de arrest. imp. c. 9. n. 1.*

27. Proximi ab Imperatore sunt Electores, Duces, Marchiones, Comites & Barones, qui in iure feudali sub voce Capitanei comprehendi videntur. Sequuntur hos Valuasores maiores, nobiles illi, qui terrarum Domini sunt & *Landherren* vocantur, hodie maxime in Austria. Quibus succedunt alij Nobiles & alij Valuasini, qui dici possunt etiam Rustici, quibus nec ipsis denegari statuo potestatem bona allodialia infeudandi. Et generatim nullã sexus, dignitatis vel conditionis habita ratione quilibet qui Dominus rei suæ legitimam liberamque administrationem habet, *c. vn. vers. noui. 2. F. 3.*

28. Vnde excipiuntur minores, qui feudum nouum constituere nequeunt, *d. c. 1. pr. 2. F. 3. ne quidem interueniente autoritate & consensu curatorum arg. l. 5. de reb. eor. qui sub tut. & t. t. C. de prad. & aliis reb. min. non al.*

B

quam



quamuis vetus recte renouent, *arg. l. 7. §. 1. de pecul. l. 3. §. 2. 3. de reb. eor. qui sub tut.* An idem poterit pupillus sine tutoris autoritate? Negatiua probabilior nonnullis videtur, *arg. l. 17. §. 1. de iurei.* Sed Affirm. nititur textu *in d. c. pr. 2. F. 3. iunct. c. 1. §. 4. vers. si minor. 2. F. 26. & c. 1. in fin. pr. 2. F. 55. & ratione*, quod pupillus non modo non faciat deteriorem conditionem suam, sed ne spes quidem deteriorationis subsit. de quo tamen vide Arum. *disp. feud. 3. th. 24.* vbi tutoris accedere auctoritatem tutius esse putat & consultius.

29. Porro inter prohibitos numerantur patriæ potestati subiecti, *per l. fin. §. filius autem C. de bon. qua. lib.* infantes, furiosi, prodigi, *arg. l. 40. de R. I.* An surdus & mutus? diuersæ Dd. sententiæ: nobis instar erit problematis. An cæcus? non puto. Sic prohibentur etiam curatores, tutores (Principum excipio *Sonsb. p. 6. n. 24. Rosenth. c. 3. concl. 16.*) Procuratores, nisi posteriores hi speciale mandatum habeant, cui non æquipollere arbitror mandatum cum libera, vel vniuersorum bonorum, *l. 63. de procur. l. 11. §. fin. de pign. act.*

30. Sed non satis est nosse qui feuda concedere possint, nisi simul constet, *quibus ea constitui queant.* Acquirat autem feudum quilibet non sexu, non ætate, non statu, non conditione, non vlla aliqua qualitate obstante, nisi expressè prohibeatur. Proinde feudum accipit femina *2. F. 30. 2. F. 17. 1. F. 8. §. 2. 1. F. 24.* pupillus *2. F. 26. §. si minori infans. quod ex alleg. modo §. si minori in ipso disputationis actu conabimur deducere:* non reiecta interim communni Dd. distinct. infantia limites transgressus sit nec ne, vt hoc casu tutor vel pater eius nomine acquirat *l. 18. pr. & §. 1. C. de iur. delib.* seruus modo quis sit non ignoretur, *2. F. 3. §. personam.* filius familias, vbi magni momenti quæstio occurrit, an vsufr. patri acquiratur? quod cum communi Dd. schola nego. nobilis, rusticus, *arg. c. vn. 2. F. 10.* nec interest, par an inferior, vel etiam superior sit cõcedente *arg. l. 13. §. 4. ad S C. Treb.* clericus, si dominus hoc ei conferens, sciat esse clericum *c. 1. §. fin. 2. F. 40.* Quod si monacho datum fuerit, acquireretur (quoad vitam tamen monachi feudatarij, nisi respectu monasterij esset datum) monasterio cui se mancipauit, dummodo illud feudi sit capax, *post alios Vult. 1. feud. 4. n. 9.* Item furiosus, si quæ in infante diximus huc accommodentur, cæcus, surdus, mutus *c. vn. 2. F. 36. ad quod c. cum c. 1. §. 2. 1. F. 6. conciliandum.* varias affert hypotheses *Fach. 7. controu. 34.* non displicet obseruatio Arum. *Disp. F. 3. th. 43.* vt initium accipiatur de tali muto aut furdo, qui possunt solita seruitia non attento vitio præstare; posterius membrum de ijs, qui præstandis illis impares sunt.

31. Prohibentur autem hæretici, excommunicati maiore excommunicatione, banniti, læsæ maiestatis rei, publico crimine damnati, ex incestis ac nefarijs nuptijs nati, vsurarij, infames & eiusdem farinae infiniti alij, *Vult. 1. feud. 4. n. 12.* Quibus an & spurij annumerandi dubitare licet. Affirmatiua receptior, quamuis & Negatiua sat videatur probabilis, ipsaque experientia confirmetur.

32. Absoluta personatum tractatione, sequitur ut RES, quæ in feudum dari possint perlustramus. Res autem omnes ex quibus percipi possunt fructus cuiuscunque generis sint, recte in feudum dantur, quarum triplicem ponit classem Feudista in *c. 1. §. sciendum. 2. F. 1.* Et primo quidem *res soli seu immobilē esse* oportet, qualis est territoriū, fundus, area, fodina, &c. consequenter in mobilibus, & quæ illis adnumerantur, feudū ne quidē sub cautione quasi usufructus constitui potest *arg. l. 7. de usufr. ear. rer.* nisi in consequentiam, & tanquā accessiones rerum immobilium, *arg. l. 3. §. 15. de vi & vi arm. l. 2. de iurisd.* quo pacto *re soli* in feudum data, etiam res illi coherentes, quin etiam omnia iura, itē quæ perpetui usus causa ibi sunt, i. e. quæ rei soli sunt pertinentia (cuius vocis latitudinem seu generalitatem vide *in l. 181. de V. S. & apud Vult. 1. F. 5. n. 4.*) simul in feudū concessa esse intelliguntur, nisi illa nominatim sint excepta *Vult. d. l.* aut ex peculiari locorū consuetudine, quemadmodū in Marchia pecunia ex feudo redacta feudi naturā retinet; etiam pacto nullo intercedente, quod tamen in dubium vocat *Lindem. exerc. feud. 3. c. 8. th. 51.* de iure autē feudali secus est *per tx. express. in c. 1. §. si vasallus. in fin. 2. F. 26.* ut nec pecunia ex feudo euicto redacta in feudum dari possit, *per tx. in c. vii. 2. F. 25.* si quis tamen in feudi legē dederit. Pecuniā an subsistere possit iure saltē alterius cōtractus innominati, puta do ut facias, questionis est. Et Affir. pualere videtur *arg. l. 80. de V. O. l. 12. 21. de re. dub.*

33. Altera classis, est *rerum solo coherentium* i. e. quæ solo iuncta infixaque sunt, veluti castra, ædificia, molendina (non tamen in aquis natantia, vel vento agitata, quæ pneumatica appellantur; hæc enim cum rebus mobilibus annumerantur earum quoque iure censentur, nisi forte stipitibus in terram defossis ita facta sint ut loco non moueantur *arg. l. 21. in fin. de instru. leg.*) arbores, & similia: quibus addo fructus pendent *es arg. l. 44. iunct. l. 67. de R. V.* Atque hæc, ut maximè solum cui coherent in feudum datum non fuerit, si non omnino per se, saltem ratione coherentiæ in feudum concedi queunt *arg. l. 25. §. 6. qua in fraud. cred.*

34. Hinc illa decidenda venit quæstio, num castro in feudum dato iurisdic-tio quoque, & cum ea imperium tam merum quam mixtum concessa intelligatur? Quod affirmandum puto, si castro vel territorio (pro quo etiam in dubio præsumitur *VVesemb. in par. de iurisd. nu. 10.*) cohereat, alias concessa simpliciter iurisdictione, magis est, ut non merum, sed iurisdictione tantum simplex & mixtum imperium in dubio concessum intelligatur *arg. l. 1. de off. eius qui mand. est iurisd.* quod iterum secus erit, si Princeps alicui omnem vel omnimodam concesserit iurisdictionem; hæc enim concessio cum sit emphatica merum quoque tribuet imperium, quemadmodum etiam si castrum cum pertinentijs datum fuerit, merum non modo imperium transire verius puto, sed iuxta interpp. extensionem ea quoque Regalia, quæ castri istius possessoribus iure hereditario ratione rei possessæ competierunt. Regalia tamen maiora ita concessa non intelliguntur



arg. c. 4. X. de offic. leg. vnde nec inuestitura de aliquo Ducatu vel Comitatu factâ Regalia statim in inuestitum transferuntur, nisi Imperator in concessio Ducatu aut Comitatu nulla alia habeat iura præter Regalia, tum enim hæc, saltem minora, concessa intelliguntur; idem dicendum, si generali concessioni adiecta sit specialis reseruatio aliquorum Regalium. *Rosenth. c. 5. de feud. concl. 14. n. 5. Carpzou. alleg. sup. disp. th. 118 cum seqq.*

35. Sunt autem *Regalia*, vt inde ceu specie nobiliori tertiam ordiamur classem, rerum scil. quæ inter immobilia connumerantur vel *Maiora* vel *Minora*, aut secundum alios *Maiestatis & Fisci*. *illa* dicuntur in quibus potissimum suprema potestas, dignitas & præminentia Principis relucet, suntque personalissima oisibus quasi Principis cohærentia, vnde & reseruata *Kaiserliche Hoheit vnd Reseruaten* / *κατ' ἐξοχήν* appellantur. *Hæc* sunt iura, quæ ad conseruandum & augendum fiscum Imperatoris pertinent magisq; in reditu ac fructu consistunt.

36. Prioris generis sunt potestas Legum vniuersalium condendarum: ius creandi Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones: ius Nobilitandi: creandi comites Palatinos, Doctores, Licentiatos, &c. Notarios ius constituendi Magistratus, concedendi iura Ciuitatis, Legitimandi, veniam Aetatis tribuendi, absoluendi à iuramento, Fame restituendi: ius Stipularum seu mercatum: Ius Postarum, quod vocant: Ius Comitiorum: Extrema Prouocatio: ius concedendi Iurisdictionem, erigendi Academias: noua Vectigalia erigendi: cudendi Monetam: Belligerandi &c.

37. Posterioris generis, quæ iura fisci appellat Cuius, quoniam fiscum nemo proprie habet nisi Imperator iure suo proprio, alij enim non nisi ad exemplum aut ex concessione Imperatoris, eaque vel tacitâ, quæ inducitur præscriptione (temporis puta immemorialis *Rosenth. c. 5. concl. 16. & seqq.*) vel expressa quæ inducitur conuentione, facilius Imperator concedere solet, quam maiora illa. Exempla horum referuntur in *c. vn. quæ sunt Regalia 2. F. 56.* in quo tamenc. recensentur nonnulla, quæ maioribus veniunt adnumeranda, quemadmodum è contrario plura sunt Regalia præter hæc in *c. illo* relata, quod Fridericus ea tantum enumerare voluisse videtur, quæ longo iam tempore deperierant, & per Episcopos ac Proceres Italiae Imp. Friderico restituta sunt *Cui. ad. d. c.*

38. Inter hæc Regalia primo loco ponuntur *Armandia*, quam vocem cum plerisque Neotericis interpretor fabricas seu officinas publicas, in quibus ad vsum Reip. arma præparantur. Has enim princeps Romanus sibi soli semper vendicauit, *N. 85. l. vn. C. vt armor. vsus in sc. princ. lib. 11. tit. 46.* adde explicationem *Gothofr. ad d. c. vn. 2. F. 56. lit. B.*

39. Secundo loco referuntur *Via Publica*, quæ & *Basilicæ*. h. e. Regiæ siue Regales appellantur *l. 2. §. 22. nequid in loc. publ.* item militares in *l. 3. §. 1. de loc. & itin. publ.* nostro idiomate *offene Landstrassen* / *Kaiserliche Freye Herrs oder Reichsstrassen* / quatenus scil. reditus omnes, qui ex vijs publicis de-

pen-

pendent, ad fiscum pertinēt. Incumbit autem Imperatori alijsue concessio-
ne, vel præscriptione viam publicam habentibus, vt curent ea, quæ ad secu-
ritatem huiusmodi viæ spectant, quo à malis hominibus purgetur, idque
tanti fecit Philippus Hæssie Landgravius, vt dicere solitus sit: *Man soll ei-
nen Fürsten kennen bey reiner Strasse / guter Münze / vnd haltung beschehener
zusage / VVaremund ab Ehrenberg de regn. subsid. c. 5. n. 37.* Et nisi ijs in locis
vbi pedagium exigunt itinera tuta cōseruent, damnum quod iter facienti-
bus à latronibus infertur, refarcire tenentur, maximè si à peregrinantibus
aliquam pensitationem & tributum, prout communiter pro saluo condu-
cto fieri consuevit, accipiant. *Geil. 2. obs. 62* Et ob hanc quoque causam ei
qui viam publicam habet, iurisdictio in ea competit, vnde homicidio in
illo commissio cognitio, & executio eius non alij magistratui circumquaq;
territorium & in eo iurisditionem habenti competit, sed illi cuius est ius
Regale in eadem via publicâ. Sed quid si corporis occisi pars altera in ter-
ritorio eius, qui merum habet imperium, altera in via publica reperiatur?
illis subscribo, qui vtrique cognitionem tribuunt.

40. Succedunt *Flumina nauigabilia. & ex quibus fiunt nauigabilia* quæ ad
Regalia referri puto non ratione saltem iurisditionis & tuitionis proprie-
tate penes illos manente per quorū territoria fluunt, sed quod propria sint
(nisi superiorē recognoscentes per quorū territorium transeunt ex conces-
sione, vel præscriptione consuetudineue ea habere constet) Imperatoris in
imperio Rom. vel aliorū superiorem non recognoscentium, quamuis vsus
eorum maneat publicus, liceatue cuilibet ijs vti, modo sine iniuria alte-
rius hoc fiat. vnde priuato non licebit sine Principis permissu molendinum
in illis ædificare, etiamsi non sit nociuum, quoniam tali ædificio occupatur
particula Reip quod sine iniuria fieri non potest. *l. 1. & 2. nequid in loc. publ.*
Huic Regali valde affine videtur *compendium naufragiorum.* vulgo *Strand-
gerechtigkeit.* Quod tamen ius vt à pietate, & iure alienum constitutione Fri-
derici II. & imperij abrogatum merito est *auth. Nauigia. C. de furt. Carol. V.
const. crim. art. 218.*

41. Fluminibus ab imperatore in d. c. subiungitur *Portus* seu ius certæ
stationis, de quo in *l. 59. de V. S.* & pertinet ad Regalia ratione scilicet vecti-
galis, quod ex nauium statione (alij intelligunt vectigal quod pro transi-
tu soluitur) fisco Imperatoris soluitur *per. l. 17. §. 1. de V. S.* Cui annumeran-
tur *Ripatica*, vectigal scil. quod nauigantes per flumen publicum ob id
soluunt quod ripam naue appellant, & ad eam morantur consistuntque
aliquando.

42. Sequuntur *Vectigalia*, non qua noua instituenda vel augenda, hoc
enim respectu ad maiora spectant Regalia, sed qua instituta fiscum Impe-
ratoris augment, & pro inuentione & euectione mercium venditarum, & ve-
narium in itinere pontisue transitu debentur. Vectigalibus autē in feudum
datis ipsas quoque pœnas, in quas incidunt, qui vel merces, quas vehunt,

non profitentur, vel fraudandi vectigalis gratiâ per vias insolitas (aliud est si per ignorantiam nō soluant gabellas, aut propter inundationem vel incursum latruncolorum) iter faciunt, non concessas esse verius est, quod diuersa sint Regalia, vectigalia & *multarum pœnarumq; compendia*. Quod tamen hodie ita strictè non obseruari, vbi multæ pro fructu quæstusq; iurisdictionis habentur, testatur VVesem. in π. C. de mod. mult. n. 6. vtrum vero hoc ceu ignominiosum tribunalibus improbandum veniat, vt vult *Autor discurs. Von Justitiënwerck allegatus à Carpzou. d. disp. th. 66.* possit vltioris esse disquisitionis.

43. *Ius bonorum vacantium* Principes iure Regalium sibi semper vendicarunt l. 1. l. fin. C. de bon. vac. Quibus *bona indignis, vel damnatis* ex legum præscripto *ablata* cum certâ legum scriptarum modificatione accensentur.

44. *Argentariarum* quoque *ius* quod de metalli-fodinis plerique interpretantur, ad Regalia refertur, idq; tribuit A. B. c. 9. Electoribus, puta vt id liberum ab omni præstatione habeant. Alij tamen Principes idem sibi ius vendicant, imo & priuatus fodinas istas possidere potest l. 9. §. 2. l. 13. §. 5. de vsufr. l. 3. §. fin. cum l. seq. de reb. eor qui sub tut. cum onere tamen decimaræ præstationis l. 2. & 3. C. de metall. lib. 10. tit. 6. Et si hodie Principes istas sibi vendicent sine vlla interesse præstatione iniuriam inferre subditis videntur.

45. *Piscationum redditus* dum annumerat Imperator Regalibus vectigal intelligit quod ex piscationibus, quæ in mari & fluminibus fiunt, Imperatoris fisco præstatur. Piscationum redditibus an *iura quoque venationum* accensenda, vt Principibus Regalium iure competant, ingens inter Dd. controuersia. Pro Negat. teste Vult. i. F. 5. n. 2. stat communis, quam & ipse ceu veriore probat, sententia, quâ tamen non obstante in Affirmatiuam vt æquissimam omniq; iuri consonam descendo.

46. Sic quoque inter Regalia referuntur *Angaria & Parangaria*, quæ sunt onera patrimonialia in præstatione iumentorum, nauium, plaustrorum & operarum consistentia. Distinguuntur autem à se inuicem, quod angaria sit, qua cursus publicus rite dispositus est: Parangaria vero cum præstationes illæ extra ordinem propter necessitatem seu repentinum aliquod negotium indicuntur, l. 2. C. de quib. mun. vel præst. nem. lic. se exc. lib. 10. tit. 48.

47. Subijcit Imperator *extraordinariam collationem*, quæ fit ad felicissimam Regalis numinis expeditionem, & dicitur Fodrum. Cuius licet hodie vsus rarior, omnis tamen collatio extraordinaria seu superindictum Regalibus connumeratur, quod pro Imperij vtilitate seu necessitate indicitur supra ordinarias & statas indictiones, census & tributa, nostroq; seculo collecta nuncupatur, Geil. 2. obs. 52. n. 9. & 10. & obs. seq. Fit tamen interdum, vt impositio collectarum non sit de Regalibus, veluti si Princeps, Comes, Baro, aut Ciuitas, licet nulla habeat Regalia, subditis suis etiam
absque

absque Imperatoris & statuum Imperij permisso collectā imponat extraordinariam, quod potest in casibus necessitatis.

48. *Thesauri* denique *inuentio* sub distinctione pro Regali habetur, vt si in loco religioso, aut Cæsaris non datā operā reperiatur, dimidium cedat inuentori, si data opera totus ad fiscum pertineat, l. 3. §. 10. & 13. de iur. fisc.

49. Atque hæc sunt Regalia, quorum mentio fit in *sepe d. c. qua sint regal.* eorumque concessio strictè accipienda, vt concessis quibusdam Regalibus concessio isthæc ad similia porrigi non debeat *add. th. 34. in fin.* An verò concessio Regalium cumlatiue vel priuatiue facta intelligetur? Distinctione rem expediemus.

50. Porro inter immobilia referuntur *annui redditus*, in quibus feudum constituitur siue illi ex re immobili, siue huic æquipollenti, puta ex mensa aliqua numularij, debeantur, modo ne sint præstationes merè personales, nec ex re turpi aut illicito quæstu percipiantur, *Vult. 1. F. 5. n. 9.*

51. *Actiones* quoque cum pro ratione rei, cui accedunt, vel ad res mobiles, vel immobiles reuocent Dd. exinde inferunt, feudum in actionibus ad rem immobilem competentibus constitui posse. Quod tamen additā limitatione *cum Arum. d. sp. F. 4. th. 24.* accipio, si videl. causam successiuam exercitiumque remeans habeant. Quid enim si rei vindicatione acturus eandem alij in feudum concedat, isque fundum consequatur? nihil vtique superest, quod feudum redolere possit quod est contra feudi naturam *c. vn. 2. F. 23.*

52. Atque ita res prædictæ in feudum dari possunt, siue alienæ: quibus tamen euictis dominus vasallo de euictione obligatur *c. vn. 2. F. 8. c. vn. 2. F. 25.* siue propriæ, tam concedentis de quo nullum dubium, quam accipientis, modo id fiat ipso sciente. *Requisita autem huius recognitionis vide ap. Vult. d. c. 5. n. 19.* siue communes, *de quibus tex in §. 2. de not. feud. 2. F. 58.*

53. Non tamen sufficit rem esse immobilem vel quasi, nisi altera etiam qualitas adsit, quod scil. *nec commercio exempta, nec alienari prohibita sint.* Ciuiusmodi sunt res sacræ, religiosæ, sanctæ vel publicæ (in consequentiam tamen & cum vniuersitate concedi posse, absque omni dubitatione dicit Borch. *de feud. c. 6. n. 9.* quemadmodum etiam publicæ imperij quæ sunt rectè infeudantur, ita tamen vt infeudatio non vergat in grauem imperij læsionem) fundus dotalis, bona filij in quibus pater vsumfructum habet, res fideicommissariæ restitutioni obnoxia, item eæ, quæ vel à testatore, vel pactione contrahentium transferri vetitæ sunt.

54. *De rebus Ecclesiasticis* variè controuertunt Dd. Nos ceu regulam ponimus, quod omnia bona Ecclesiastica, etiam in feudum dari non solita, exceptis titulis (dicuntur tituli bona mensæ incorporata, libriq; censualib. Ecclesiasticis consignata) decimis & primitijs ab Urbano II. & Concilio Lateran. infeudari prohibitis (consuetudine tamē aliud induci posse puto, *arg. c. 2. X. de feud.*) rectè in feudum concedi possunt, modo persona (neque
enim

enim ex rebus infeudari solitis ius hoc metimur, *arg. c. 1. pr. 1. F. 6. c. vn. 2. F. 35. & in extraord. c. 91.*) à qua fit infeudatio antiquitus in feudum concedendi potestatem habuerit, & solemnia alienationis in rebus Ecclesiasticis de iure requisita adhibeantur, quæ tamen in re antea infeudari solitâ non necessaria, *arg. c. 1. pr. 1. F. 1.* & nisi denique res illa bonis Ecclesiasticis incorporata fuerit: quo facto, amplius non dicitur infeudari solita, & ideo non nisi seruatis solennitatibus iterum infeudari potest. Incorporatio illa fit vel expressè, vel tacitè. Vbi magnus Dd. conflictus quot annorum requiratur, vt hæc bona mensæ incorporata censeantur? Nos cum plerisque id arbitrio iudicis relinquimus, *arg. l. 1. §. fin. de iur. delib. l. 13. §. 1. de ann. leg.*

55. Vidimus res in feudum dandas; sequitur nunc quomodo feudum constituatur & constitutum acquiratur dispiciamus. Constituendi autem feudi modus vnicus est **INVESTITURA** quâ vtut aliij præambuli tractatus siue inter viuos, siue mortis causa fiant præcesserint, exinde tamè causa potius seu titulus, quam feudi constitutio dimanat. Vbi statim in limine acris occurrit quæstio, An feudum promissum Dominus præcisè tradere cogatur nec præstando interesse liberetur? Et ad traditionem quidè præcisè illum teneri, si inuestitura abusiua infecuta sit, *c. 1. §. si facta. 2. F. 26. c. 1. §. fin. 2. F. 7.* in promisso tantum feudo præstatione interesse liberari communiori Dd. calculo receptum. *vti testatur Rosenth. c. 6. concl. 6. n. 8.* quod obligationum faciendi ea natura sit, vt si non fiat quod promissum est, ad interesse agatur *l. 13. §. 1. de re iud. l. 72. vers. Celsus. l. 81. pr. l. 11. §. 1. de V. O.* Sed & Dominum per legitimum contractum feudum constituentem & promittentem, facultatemq; tradendi habentem ad eiusdem præstatione obligari maximè si à Principe facta constitutio sit, sat probabiliter defendi potest, *arg. §. 2. Inst. de donat. l. 11. §. 2. l. 46. de act. empt.* prout difficultatem quæstionis ipse agnoscit Rosenth. *d. l. in gl. lit. F.*

56. Constitutum verò feudum tribus potissimum modis acquiritur Inuestiturâ, Præscriptione, & Successione; quos tamen modos, Feudista ducit *2. F. 1. in fin. ad δὶχονομίαν* reuocare haud displicet.

57. *Inuestitura*, Germanicè *die Belehnung* nobis definietur solemnis feudi celsio. Est que latè sumta *Tacita* vel *Expressa*: hæc q; vel *Propria* vel *Impropria* seu *Abusiua*, text. in *c. 1. pr. 2. F. 2.* illa perficitur in vacuam possessionem inductione, seu reali eius traditione, *arg. c. 1. §. si facta. 2. F. 26. c. 1. pr. 1. F. 3. 4. c. 1. vers. si enim Domino. 2. F. 2. c. 1. in fin. 2. F. 7. c. vn. 2. F. 88.* Hæc futuræ possessionis repræsentatione quibusdam ritibus & ceremonijs interuenientibus declaratâ, qualiter hodie omnia fermè feuda concedi solent, Maiora per sceptrum, hastam, gladium, vexillum, &c. Minora per anulum, torquem, chirothecam, &c. prout cuiuslibet fert Curia consuetudo, *Vult. 1. feud. 7. n. 34.* semper tamen corporea signa esse oportet, qualia etiã sunt, si confecta super feudis instrumenta tradantur, *Rosenth. c. 6. conclus. 3. lit. A.*

58. Ab-

58. *Abusiva inuestitura duplici fit modo*: de feudo nouo & aperto, aut de feudo ab alio adhuc possessio, quod aperiendum speratur.

59. Priori casu inuestitum non quidem realem possessionem, nisi eam legitime apprehenderit, sed tamen propria autoritate rem in feudum datam ingrediendi & apprehendendi facultatem nancisci plerique volunt, de quo tamen non immerito dubitare licet *propter l. 3. C. de pign. iunct. l. 176. de R. I. arg. casus in l. 6. C. ad L. Iul. de vi publ. (cōser. th. 71.)* Nec audiendos puto, qui per abusiuam inuestituram (nam ne ex propria quidem possessionem transire, si accurate loqui velimus formam cessionis istius cum effectu non confundentes magis est vt dicamus *arg. txx. in th. 57. allegat. quo fac. c. 1. caus. 16. qu. 2. ibi*: maius enim fuit possessionem dare, quam sit inuestituram concedere. *adde Cui. ad § si vero Archiepiscopus 1. F. 3. & ad c. vn. 2. F. 2.*) dominium, quod vtile Dd vocant, in vasallum translatum esse contendunt. Eamque ob causam si duo de eodem feudo abusive inuestiti fuerint, & alter eorum possessionem nactus sit, hunc alteri, licet primitus inuestito, Dd. communiter suffragantibus, præfero, *arg. l. 15. C. de R. V. fac. l. 6. C. de her. vel act. vend. l. 3. C. de his qui à non dom.* Quod in tantum extendunt Interpp. vt etiam procedat eo casu, quando possessio tradita est cum clausula saluo iure primi inuestiti. Aliud esse volunt in Principe *per text. singularem in l. prædia. 5. C. de loc. præd. lib. 11. tit. 70 Myns. cen. 3. obs. 61.* Quod iterum sublimitat *Geil. 2. obs. 55.* si per modum gratiæ concessio facta sit, secus si per modum contractus; *adde Fach. 7. controu. 33.* & plures limitationes ad principalem quæstionem vide *ap. Rosenth. c. 6. concl. 20. cum seqq.* Possessione vero in nullum translata potior erit primo inuestitus *arg. l. 26. locat.* nisi hic de incerto, posterior de certo aliquo feudo esset inuestitus.

60. Posteriori casu quando vasallo familiæ & agnationis vltimo succumbente, vel alias feudi caducitatem causante quis inuestitur, spes tantum est debitum iri *iuxta §. 1. I. de V. O.* feudumque obligatorie saltem constituitur. Sed spes illa ad heredes tam actiue quam passiuæ est transitoria *c. 1. pr. 1. F. 9 §. 24. I. de inutil. stip. l. 13. & fin. C. de contr. & com. stip.* obseruatâ tamen inter laicos & clericos (quatenus de re Ecclesiæ inuestitura facta *c. vn. 2. F. 35.*) distinctione quam suppeditant *txx. in d. c. vn. 1. F. 9. c. vn. 1. F. 3. c. vn. 1. F. 27. c. 1. §. moribus. 2. F. 26.* cuius distinctionis ratio ex diuerso succedendi iure videtur promanare. vnde est, quod nec Imperatorem, alioque Electionis iure succedentes ad ratificandas eiusmodi inuestituras cogi posse nonnulli inferant. Vt autem successor clericus teneatur, duplicem addunt cautelam, vel vt nomine eius feudi in possessionem se mitti, *tx. in d. c. vn. 1. F. 3.* vel cum consensu capituli inuestiri se petat. illud probat, hoc reijcit *Fachin. 7. controu. 29. & seqq.* approbasse tamen Collegium Iuridicum Lipsense & Francofurtense *refert Pistor. p. 2. qu. 27. n. 24.*

61. Licitam vero huiusmodi esse expectatiuam inuestituram, ne rationum momenta adducam, sat clare euincunt *d. c. vn. pr. 1. F. 9. & d. c. 1. §. moribus*

C

bus

Uus 2. F. 26. Sed an idem ius viuentis vasalli agnatis concessum, vt in casum aperturæ pacisci inter se queant, dubitari solet. Et propter rationis paritatem Negatiue renunciandum puto, quam tamen magis est vt probē, si liberos habeat vasallus, tunc enim feudum eius sub caducitatis lege alteri concedi non posse defendit *gl. in. c. 1. §. si quis 2. F. 27. & commun. Dd. adde bonum 2x. in d. §. moribus.* idem erit dicendum si vxorem relinquat prægnantem, siquidem de commodo agitur, & nato feudi capace coniungetur tempus mortis vasalli, & tempus partus, intermediumque nullum fuisse fingetur. Quid si post inuestitionē illam liberos procreet? si pater eos reliquerit superstites, inuestitura expirabit. Ab hac inuestitura feudi alieni plurimum differt ius simultaneæ inuestituræ, de qua vide quæ post alios habet *Vult. 1. feud. 7. n. 73.*

62. In omni autem inuestitura quatuor inprimis consideranda veniunt
I. *Petitio* eiusdem legitima II. *testatio* legitima III. *Fidelitatis præstatio*. IV. *in Possessionem inductio.*

63. *Petitio* fit vel de feudo nouo constituendo & acquirendo, vel, de veteri confirmando, quæ confirmatio siue renouatio toties necessaria quoties vel Domini vel vasalli persona mutatur & per Procuratorem recte expediri potest. 2. F. 3. in tantum, vt si ab eo qui mandatum speciale non habuit facta fuerit, per ratihabitionem validari possit *c. ratihabitio ibique Dyn. de R. I. in 6. iunct. l. 26. de minor.* Sanè si iustâ & graui de causa Dominus conspectum vasalli vrgeat, in propria persona homagium præstabit, quod plerumque consuetudines regionum exigere testatur *Cui. lib. 2. feud. tit. 4. in fin.*

64. Dirigi debet *petitio* ad Dominum proximum & immeditatum vel vnum vel plures parius habentes. Sed Domino defuncto pluribus relictis heredibus, quomodo inuestitura sit petenda quæstionis est intricatæ certè & nodosæ, prout eam inducit Rosenth. *c. 6. concl. 38.* Et quamuis securus esse nonnulli statuunt omnes adiri, probabiliorem tamen efficit *tx. in c. 1. §. præterea Ducatus. 2. F. 55.* illorum opinionem, qui vasallum iure desiderare ab heredibus posse putant, vt constituent ex se vnum, à quo inuestitura petatur: Quo non impetrato, in arbitrio vasalli esse à quo velit petere, hæc tamen adhibitâ distinctione, vt digniorem vel seniorem potius eligat. Ius verò Saxonicum hanc eligendi facultatem denegat, & superiorem vult ad eundem, quod & in genere facile posset admitti. In dubio certè si contentio sit inter ipsos heredes Dominos, poterit, quoad lis sopita sit, petitionem differre, vel protestatione interposita de non præiudicando cuiquam securè ab omnibus, aut etiam possessore petere *Vult. 1. feud. 7. n. 122.* si interim ad arma perueniatur, tutius videtur quiescere, *arg. l. 43. de hered. instit.* Si contra alios singuli bella gerant, gratificationi locus erit, *vide Codd. disp. F. 6. lib. 4. tit. D.*

65. Debet porro fieri *legitimo tempore & loco.* In feudo nouo nullum cer-

certum tempus iure definitum, ideoque vassallus expectabit, donec à promittente ad inuestituram petendam citetur. Quod si nimium differat, poterit se ad ea, quæ de iure præstanda offerre. In antiquo feudo diuersum tempus præstitutum militi & pagano. illi annus & mensis, 1. F. 22. huic annus & dies, 2. F. 55. §. *præterea si quis. quibus in locis vulgata retenta lectio suis non destituitur rationibus.* Tempus autem illud quia à lege inductum inuito vassallo coarctare nequit: an prorogari? ratio suadet, vt affirmem: curritque ex tempore scientiæ iuris sibi competentis, *gl. in c. 1. verb. annum.* 1. F. 22. sub pœna amissionis feudi, nisi iustum subsit impedimentum, quod vassallum excusare possit, 1. F. 22. 2. F. 52. §. *fin Vult. de feud. c. 7. n. III. cū mult. seqq.* Quo interueniente & cessante tantum adhuc temporis concedetur, quantum de cœpto erat reliquum puta si eadem sit vassalli persona, mutata enim tam vassalli, quam Domini totum de nouo tempus tribuere, sine etiam distinctione antiqui vel noui feudi verius videtur, *Vult. d. c. n. 131.*

66. Impubes tamen ipso iure tutus, vt contra illum tempus prædictum, quamdiu impubes est, non currat, siue tutorem habeat, siue non, *c. 1. §. si quis decesserit.* 2. F. 26. secus in minore, contra quem ipso quidem iure currit, sed per in integrum restitutionem ipsi succurritur, *gl. in d. §. præterea si quis.* 2. F. 55. eamque conuassallo quoque maiori, qui cum minore feudum commune possidebat propter rei connexitatem, *arg. l. 10. pr. quemadm. seru. a. mit.* prodesse quidam volunt, quod tamen vix est vt probem *cum Rosenth. c. 6. concl. 41. n. 2. addit à gloss. ibid.*

67. Locus petendæ inuestituræ congruus est territorium Domini, nisi cum pactione vel priuilegio aliud cautum est, vt de Duce Austriae refert Cuiac. 2. F. 4. *in fin.* quod pro conducendis feudis requirere seu accedere non teneatur imperium extra metas Austriae.

68. Debet insuper petitio fieri expressè, humiliter, deuotè cum oblatione fidelitatis, apertè & Testato (quod alterum est inuestituræ requisitum) Curia paribus in noui feudi inuestitura ad minimum duobus presentibus; quos tamen si vel non habet, vel quos habet, extranei sint, vel absint, vel venire nequeant (tergiuersantes enim multà indictâ, pœnaliq; iudicio cogi possunt, *gl. in c. 1. §. nam si. verb. domino cogente, & paulo post ad verb. compellat.* 2. F. 2. *Schenck Baro à Tautenb. ad pr. d. c.*) extranei quoque non prohibiti admittuntur, coram quibus etiam veteris renouatio rectè expeditur, vt & si de re Ecclesiastica infeudent clerici, *xxx. vide in d. c. vn.* 2. F. 2. 1. F. 26. 2. F. 32. 33. 2. F. 58. Scriptura autem licet non quam ad probationem, tam ad substantiam requiratur, *arg. d. c. 1. §. si enim. & §. si autem.* 2. F. 2. c. 1. *in fin.* 2. F. 5. c. 1. pr. 2. F. 32. nisi hoc actum sit vt fieret, *arg. l. 17. C. de fid. instrum.* de consuetudine tamen Germaniæ receptum, vt inuestituræ instrumentum, quod breue testatum vocant FF. diligenter & cautè conficiatur, idq; coram quibusuis testibus, imò etiam nullis factum valet, modo Do-

mini manu & sigillo roboratum fit, cui accedere solet subscriptio locum tenentis Principis & Cancellarij, *Vult. i. feud. 7. n. 59.*

69. Inuestitura hoc modo constituta vasallus *Iuramentum vasallagij* vel hominij, Germanicè *die Lebenspflicht* præstare tenetur, cuius non vna traditur, à FF. formula in 2. F. 5. 6. 7. obseruanda autem cuiusque loci consuetudo nec potest à vasallo iuramentum exigi insolitum.

70. Sed quemadmodum illud non omnes præstant, puta quando conventionem vel pacto remittitur, 2. F. 3. *in fin.* vel propter aetatem differtur, §. *si minori.* 2. F. 26. quo tamen casu tutor vel curator admitti potest & solet (alias regulariter ad præstationem iuramenti omnes tenentur vasalli, solâ Ecclesia excepta, *c. extraord. 101.*) ita nec aduersus omnes obligat. Excipitur enim antiquior Dominus *c. i. in fin. 2. F. 28.* Imperator, *c. i. in fin. 2. F. 55.* Patria *arg. l. 2. de i. & i. iunct. l. 35. de relig. & sumpt. funer.* adeo vt si Dominus vasalli sit proditor patriæ ipsius, accusari possit à vasallo *per gl. in c. 1. §. item si delator. verb. perdit. 2. F. 23.* An etiam pater? puto distinguendum iuste an iniuste Dominus offendatur.

71. Præstita iam fidelitate vasallus *in realem possessionem inducitur.* Et quamuis abusuè inuestitus, in re præsentem, symbolo dato, feudum propria autoritate ingredi possit, tamen cum traditio possessionis actum corporalem requirat, satius est, vt induci se in possessionem desideret.

72. Atque hoc modo per inuestituram expressam acquiritur feudum. *Tacita vel præsumta* ex lapsu temporis, *PRAESCRIPTIONE* puta, resultat. Vnde si quis per 30. annos à captæ possessionis momento rem aliquam (non Reipub. aut Ecclesiæ, in quibus 40. annos communiter requirunt *Dd. per N. 131. c. 6.*) vt feudum bona fide, & sine interruptione possidens seruitia inde feudalia semel atque iterum præstiterit, vel præstare paratus fuerit, ius feudi rectè acquirit, præsumiturque inuestitura facta etiam si reapse facta non sit, *xxx. in cap. 1. §. si quis & §. licet vasallus. 2. F. 26. c. vn. 2. F. 87.* quod intellige de vno eodemque domino & vasallo. Alterutro enim mortuo, possessione scil. in successore defuncti continuata, renouatio inuestituræ æquè vt in alijs feudis petenda, per quam tamen res reuera feudalis non fit, sed tantum præsumtiuè, *Rosenthal. c. 6. concl. 77. n. 3.* Cæterum præscriptio hæc Domino non nocet volenti vindicare bona feudalia à vasallo alienata, *c. l. ibi: nullius temporis præscriptione impediante. 2. F. 55. c. 1. §. præterea 2. F. 40.*

73. A parte Domini impleta præscriptio, præstitis videl. de re alterius libera, quam suam esse putabat, seruitijs feudalibus, acquirit directum rei dominium, & sine inuestitura vasallum Domino obligat ex natura correlatiuorum, *Myns. cent. 4. obs. 29. in fin.* Sic quoque re feudali ad Dominum reuersa, & per 30. annos sine contradictione vasalli vel ipsius agnati possessa, consolidando vtile dominium cum directo libertatem contra vasallum Dominus acquirere potest, *Myns. d. cent. obs. 28.*

74. Tertius quoque cum bona fide & titulo ius feudi contra vasallum hoc temporis spacio rectè præscribit, ita vt reuera inuestitus vasallus esse definat, & ille ius eiusdè habere incipiat. An idem vasallo vel tertio contra Dominum conceditur? Et vasallus certè quà vasallus nequit, nisi forte possessionem interuertat, suoq; nomine possidere incipiat, quo casu iure tertij gaudebit, *idq; arg. l. 1. de vsuc.*

75. Alter principalis acquirendi feudi modus est **SUCCESSIO**, quæ vel *testamento*, vel *consuetudine & lege* defertur. Sed illa regulariter in feudis locum non habet, *c. 1. pr. 1. F. 8.* in tantum vt nec pro anima, nec ad pias causas vltimū de feudo elogium valeat, *c. 1. §. donare. 2. F. 9. c. 1. pr. 2. F. 55* nec rei feudalis sciēter legata & simatio debeatur, *l. 24. §. 1. l. 39 §. fin. de legat. 1. l. 20. C. de legat. 1.* Si tamen feudum merè sit hereditarium, quin dispositio in eo vasalli procedat extra dubitationis aleam positum. idem iuris tribuet inuestitura facta vasallo pro se, & heredibus, & cui ipse dederit, *2. F. 48.* Sed num foemina quoque hoc casu poterit institui? Negatiua fortean amplectenda per ea, quæ disputat *Vult. 1. feud. 9. n. 35.* videbimus tamen in ipso conflictu, quomodo affirmatiua ex ipso iure feudali possit deduci.

76. De feudo nouo similiter consensu Domini interueniente etiam in præiudicium filiorum rectè disponit: quin & de antiquo poterit testari, si Dominus ratum habuerit testamentum, quoad tamen præiudicium ipsius saltem ratificantis, non agnatorum, quibus ius quæsitum auferri nequit, etiam si Principis autoritate confirmatum esset. Vergere autem videtur in illorum præiudicium si testetur vasallus præsentibus illis, & non dissentientibus, vel conuiuentibus (quod concedo quoad dominum, quoad agnatos dubito, *arg. th. 112. in fin.*) *per gl. in c. 1. §. præterea. verb. regressum. 1. F. 5. & in c. 1. §. hortatu. verb. permissione. 2. F. 52. Rosenth. c. 7. concl. 4. cum seqq.* aut ex post facto ratum habentibus, *c. 1. pr. 2. F. 39. ibiq; gl. per l. fin. C. ad SC. Maced.* quod tamen in successoribus secus erit, si eorū, qui cōsenserunt, heredes non sint, *Vult. 1. feud. 9. n. 168.* De fructibus quoque percipiendis rata erit à defuncto vasallo facta dispositio, *Schrad. 7. feud. 2. n. 25.* quemadmodum quotidie fieri videmus, quod Nobiles filios suos in feudo successuros grauare soleant, vt de fructibus suas dotent sorores. Ex his dependet quæstio, an vni ex filijs feudum possit prælegari? Respondebo cum *Vult. 1. feud. 9. n. 161.* feudorum differentia & distinctione adhibita.

77. Casibus eiusmodi exceptis nulla ordinatio defuncti in feudo valebit, sed successionis ratio feudali iure obtinet; quæ quidem prima feudorum origine nulla erat, sed paulatim dilatata, moribusque vsque in infinitum extensa fuit, *1. F. 1.* Eius autè *duplex* potissimum ordo; *Descendentium* scil. & *Collateralium.* *Ascendentes* enim regulariter non succedunt, nisi pater in filiorum fauorem feudum refutarit, & filij postea patre superstiti sine liberis moriantur, tunc enim feudum ad patrem reuertitur, prout casum hunc in Camera Imperiali determinatum refert *Myns. cent. 3. obs. 93.*



sed num sine pacto præuio? Hoc quidem videntur velle Interpp. idq̄, probari puto arg. c. vn. 2. F. 49. quamuis negetur in c. extraord. 84. vel nisi respectu meritorum patris, eiusq̄; contemplatione filius fuerit inuestitus, arg. c. vn. 1. F. 20. l. 6. de collat. l. fin. C. de vsufr. vel nisi feudum sit merè hereditarium, in quo cum fratribus defuncti succedunt, N. 118. c. 2. Et quæ de patre refutante diximus videntur etiam procedere, quando auus emancipauit filium, & dedit feudum nepoti suo nato ex filio emancipato. Mortuo enim auo, si moriatur nepos tenens feudum poterit huius nepotis pater in eo succedere, *Setser. disp. feud. 6. th. 18.*

78. Potior vero & prior ratio est Descendentium vel Liberorum, l. 7. de ben. damn. l. 7. §. 1. si tab. test. nul. ext. quorum appellatione, secus ac de iure communi, l. 220. de V. S. continentur tantum filij, nepotesvè &c. ex filijs, non etiam filix neptesvè ex filiabus, c. vn. 2. F. 10. c. vn. 2. F. 50. c. 1. §. 3. 1. F. 1. illæ enim in tantum à feudi successione remouentur, vt facta inuestitura, quâ filij & filia, item heredes vtriusque sexûs; item tam masculi, quàm foemina vocantur, extantibus illis hæ ad feudum aspirare nequeant, c. vn. §. 2. 1. F. 8. c. vn. 2. F. 17. c. 1. §. 3. 2. F. 51. c. vn. 2. F. 30. Vult. 1. feud. 9. n. 32. 66. cum seqq. adde tamen casus, in quibus ex tenore inuestituræ vi verborum & sensu contrahentium foeminas vnâ cum masculis admitti volunt in c. extraord. 104. admittæ verò ex defectu masculorum, si postea mas nascatur, non coguntur discedere, vt vult gloss in c. vn. 2. F. 16. quam ex ipso textu refutat *Schenck. Baro ad d. c. vn. n. 2.* Sed vtrum semel exclusa foemina, semper exclusa censeatur, ardua sanè, nodosa & acutissimorum Ictorum ingenijs variè agitata quæstio est, vt solemne illud Non Liquet meritò hîc pronunciare possim. Si quam tamen thesium ratio, ipseq̄; disputandi mos postulauerit assertionem, illorum me submittam iudicio, qui pro Negatiue concludunt.

79. Ceterum quod iure feudali regulare est, vt foemina, & ex illa nati, in feudo non succedant, id eodem iure plures admittit limitationes, puta si feudi qualitas & conditio non repugnet, vnde in feudo foemineo etiam sine pacto speciali rectè succedit, c. vn. pr. 2. F. 50. c. vn. 2. F. 30. c. 1. §. fin. 1. F. 8. in feudo franco, vel ad seruitium certum concesso, quod decenter & honestè per foeminam explicari potest, c. vn. 2. F. 104. alium vide casum in c. vn. 2. F. 24. & ibid. *Cuiac. Vult. 1. feud. 9. n. 53. & seqq.* qui ad iuris antiqui successiones respiciens verba finalia in d. c. cum d. §. filia. verb. vel nisi inuestita fuerint, 1. F. 8. coniungit, eundemq̄, casum continere putat.

80. Num igitur in feudo Ligo? Emptitio? Censuali? cum Allodium vltro est in feudum recognitum foeminam admittemus? Negantibus accedo. Ex feudo tamen nouo emto filias legitimam capere posse æquius videtur, *Rosenth. c. 7. concl. 13. n. 31. Vult. 1. feud. 9. n. 105. in fin.* quamuis nec emptitium feudum in collationem veniat, *Fachin. 7. controu. 48.* Eademq̄; æquitas plerarumque prouinciarum moribus comprobata, vt si aliunde non ha-

habeant filiae, vnde se sustentent, alimenta, dotemque quae alimentorum loco est, ex feudo petere possint.

81. Quemadmodum vero in aliquot superius enumeratis feudis ex sua natura foemina succedit: ita vicissim *vel pacto*, primae inuestiturae adiecto specialiter & in indiuiduo vt volunt, puta Maria, Catharina, Anna (quod tamen in terminis saltem necessarium puto) *vel consuetudine* rite admittitur (etiarnè in iurisdictionalibus? consuetudine id seruari, quicquid sit de iure, testatur *Vult. i. feud. 9. n. 44.*) consuetudo enim feudalis foeminas excludens alia consuetudine earundem successionem inducente tollitur, nec ea, quoniam ad ius commune reditur, irrationabilitatis rea agi poterit, cum & *iuxta Sonsbec. p. 9. n. 127.* consuetudo valere queat, vt foeminae masculis exclusis ad feuda admittantur. Illam autem succedendi consuetudinem etiam in speciali aliqua familia, si in eadem stilus ille fuerit approbatus, vel toleratus, & scienter à Domino obseruatus, locum obtinere existimo. Quod si pacto feudum pro se, heredibus masculis, & vnâ filia acquisitum sit, foeminae autem plures adsint, quænam earum admittenda? Alij primogenitam, alij aliam præferunt, vt videre est apud *Vult. i. feud. 9. n. 62.* Placent qui Domino, tanquam debitori & præcipuo electionem tribuunt, arg. c. 1. §. antiquissimo. 1. F. 1. l. 8. §. 3. de legat. 2. c. vn. 2. F. 12. ibi, ne forte inuitus.

82. Vt maximè verò foemina in feudum non succedat, ratione tamen impensarum & meliorationum in re feudali à patre, vel maioribus suis factarum, retentionis iure gaudebit, per *tx. in c. 1. §. si vassallus. 2. F. 28.* Semel vero legitimo tramite eiecta, aut in possessione præuenta difficulter ratione fructuum & impensarum immiissionem impetrabit, *Rosenth. c. 7. concl. 54. n. 4. 8. 9.* sed si contentio inter filiam defuncti & agnatos oriatur, apud filiam interim, (nisi manifestò constiterit rem esse feudalem, vel agnati probationes in promptu habent) possessio erit collocanda, c. 1. §. filiam. 2. F. 26.

83. Non solum autem foeminae certis de causis, quas vide apud *Vult. i. feud. 4. n. 2. & i. feud. 9. n. 29.* à feudo arcentur, sed & alias imperfecti ob vitium vel animi, vt furiosi, mente capti & similes; vel corporis, vt surdi, muti, cæci, claudi (de quibus celebris extat antinomia *inter tit. 36. lib. 2. feud. & tit. 6. in fin. lib. 1. feud.* quam Dd. communiter conciliant distinguendo, an tales nati, vel ex accidente, sine tamen culpa sua, facti, vt illi non, hi vti que successionis capaces censeantur qua de re latè *Vult. i. feud. 9. n. 114. adde th. 30. in fin.*) quo pertinet, qui manum debilitatam aut aliud membrum ad seruitia præstanda habet inutile *Rosenth. c. 1. concl. 15. n. 6.* idq; in tantum, vt ne Dominus quidem in præiudicium agnatorum imperfectum inuestire volens audiatur.

84. Et prædicta volunt obtinere in feudis etiam dignitatem Regalem annexam habentibus, vt si nascatur primogenitus mutus aut demens patri in Regno aut Principatu non succedat, sed ad secundogenitum deuoluatur
suc-

successio, vel aptior eligatur, statuto licet præcisè primogenitum ad sce-
ptra vocante; si tamen ex accidente inhabilis factus sit, curatorem esse
dandum, *Baro à Tautenberg ad §. mutus. 1. F. 6.*

85. Vtrum verò Clericus ius succedendi habeat quæstio frequens & in-
tricata est, prout in vtramq; partem latè de ea differit Vult. 1. *feud. 9. n. 123.*
sum seqq. Regulariter id negamus, *c. vn. 2. F. 1. c. 1. §. qui vasallus. 2. F. 26. c. vn.*
2. F. 30. c. vn. in fin. 2. F. 36. c. extraord. 109. nisi tempestiua poenitentia du-
ctus ordinem deseruerit, anno scil. probationis nondum finito, vel nisi con-
ditiones & leges ordinum variæ illis obstaculo non sint ad ea præstanda,
quæ in fidelitatis iuramento continentur; vnde admittendos censeo Equi-
tes illos Teutonicos, Hierosolymitanos, Rhodienses, Melitenses, Iohan-
nitas, Crucigeros, *Rosenth. c. 7. concl. 30. n. 9. cum seqq.* vel nisi consuetudi-
ne sit receptum, *plures limitationes vide apud Vult. d. l. n. 135.*

86. Ex quibus iam vltro patescit filiorum in quolibet feudo successio-
nem esse potioem. Sunt autem filij alij naturales & legitimi simul, alij na-
turales tantum, alij legitimi tantum, alij legitimati.

87. De primis res expedita est, vt æqualiter succedant diuiso in capita
pro numero personarum, feudo *c. 1. §. & quia vidimus. 1. F. 1. c. 1. pr. 1. F. 8.*
licet in portionibus inæqualibus hæreditarijs instituti à patre testamento
forent; aut à parentibus emâcipati, exhæredati, vel præteriti sint: nec inter-
est, ex eodè vel diuersis (pacto tamen non obstante *vt in c. vn. 2. F. 29. §. filij. 2.*
F. 26.) matrimonijs fuerint procreati, cum vtrobique eadem ratio, eadem-
que causa formalis vocationis, vtriusque scil. agnatio. De Naturalibus
quoque & Legitimis tantum txx. sunt expressi, quibus feudorum succes-
sio ipsis denegatur, *in c. vn. §. naturales & §. adoptiuus 2. F. 26.* quoad adopti-
uos tamen 5, vid. exceptiones *apud Sonsbec. p. 9. n. 63.*

88. Legitimati vero, vt non eiusdem generis, sic nec eiusdem erunt iuris.
Per oblationem curiæ legitimatus soli patri succedit, quod restringit *Sons-*
bec. d. l. n. 66. ad feudum à patre acquisitum post legitimationem factam.
Per rescriptum Principis legitimati non succedunt, nisi nominatim ad
feuda sint legitimati, *Myns. 5. obs. 42. Geil. 2. obs. 142. n. 12.* Sed num absq; Do-
mini consensu & in præiudicium agnatorum legitimatio hæc procedet?
Neutiquam. *arg. l. 39. de adopt. l. 2. in fin. l. 4. de nat. al. restit. l. 4. C. de emanc.*
lib. cum sim. c. vn. 1. F. 13. de legitimatis autem per subsequens matrimoniū
magna est *Dd.* controuersia, an ipsi in feudis succedant; Affirmatiuam ta-
men, non modo quod æquior, & præiudicijs Cameralibus stabilita, *Myns.*
d. l. n. 2. sed quod iure etiam videatur verior, amplector, *arg. c. tanta. 6. qui*
fil. sint legit. l. 10 C. de natur. lib. N. 12. c. 4. in fin. N. 18 c. vlt. in fin. N. 89. c. 8. pr. ib.
sententi enim eos efficientes legitimos damus habere successiones illas, quas
habent ij, qui ab initio legitimi sunt, *& passim in ead. Nou.* Atque hanc no-
stram sententiam admittit quidem *Schenck. L. B. ad d. §. naturales. in fin.* sed
limitat eandem, nisi tenor inuestituræ repugnet, puta si pro legitimè natis,
& ex

& ex corpore legitimè descenditibus feudum sit concessum, vel nisi feudum sit dignitatis, aut insigniter nobile. Priorem limitationem non puto procedere propter txx. modo alleg. quod matrimonium omnem defectum suppleat, cui iuri tam Dominus, quam vasallus se conformare voluisse intelliguntur, *arg. l. 2. de pact. l. 54. §. 1. locat.* Posteriores in medium relinquo.

89. Sed quod æqualiter filios succedere dicimus, num idem in feudis Regalibus asseremus? Et quamvis Fridericus Imp. *in c. vn. §. firmiter. 2. F. 55.* diuisionem prohibuerit, non tamen inde sequitur, quod solus primogenitus in illo succedat *arg. l. 7. pr. com. diuid. l. 23. §. vlt. de S. R. P.* idq; de recepta hodie consuetudine (vide th. 14.) minus habet dubij. stante vero statuto vel consuetudine primogenitum vocante periculosa quæstio est sanguineis compluries mota argumentis; An filius ante dignitatem patris natus secundogenito, post dignitatem primogenito, præferatur? quæ distinctionis fædere adhibito commode videtur posse componi. Non minoris periculi aut difficultatis illa est quæstio, An ex primogenito nepos excludat secundogenitum patrum suum? quam adeo pronunciat difficilem Rosenth. *c. 7. conclus. 26. n. 12.* vt Nili potius originem quam eius veram decisionem inueniri posse dixerit. Nos tamen cū ipso pro Nepote concludemus. Sed quid si primogenitus sine prole decedat? alij secundogenitum præferunt; alij ad reliquos omnes pertinere autumant; alij feudum planè expirare putant. Secundam sub certis limitationibus probamus sententiam.

90. Deficiente lineâ rectâ successio ad collateralem deuoluitur; in antiquo simpliciter, in nouo si expressim inuestiturâ comprehendatur *1. F. 8. in fin. 1. F. 20. 2. F. 11. & 12.* vel consortes sint *2. F. 18.* Succedendi vero ordo in feudalibus idem qui in allodialibus, ideoque fratrum filij concurrentes cum patris stirpes, soli vero existentes in capita succedunt, *N. 118. c. 3. l. 2. §. 2. de suis & leg. 1. F. 14. §. 1. 2. F. 11.* Soli autem consanguinei fratres non vterini succedunt *d. c. vn. 2. F. 11. vers. ad cognatos enim.* neque illos excludunt fratres germani, sed simul cum consanguineis succedunt: quod ita explicat Sonsb. *p. 9. n. 94. & seq.* si feudum sit masculinum seu paternum, nam si fæmininum erit dabitur casus, quo ab vterino excludetur consanguineus.

91. Nonnunquam generis potius quam proximitatis gradus in successione ratio habetur, quando nimirum feudum ex diuisione ad vnum filiorum peruenit, qui casus est *in c. vn. 2. F. 50. de quo vid. Rosenth. c. 7. conclus. 57. per tot. præsertim n. 17.*

92. Acris autem ex modo d. c. exurgit Dd. conflictus, vtrum proximitatis ratio ineunda sit respectu vltimi defuncti, vel primi acquirentis: alijs, inter quos Hotom. *disp. feud. 19. Hartm. Pistor. 2. qu. 19. Geil. 2. obs. 154. n. 3.* posteriorem alijs & magis communiter priorem amplectentibus opinionem. Quas ita conciliari posse putat Vult. *1. feud. 9. n. 234.* si proximitatem lineæ spectemus ex proximè defuncto: gradus vero in ista linea ex primo acqui-

D

ren-

rente. Quæ tamen conciliationis ratio *teste ipso Vult. d. l. n. seq.* cum eò tandem redeat, ut semper is, qui ultimo defuncto est proximior, ad successionem admittatur, nos priorem maximè approbamus sententiam, *arg. c. 1. vers. his vero deficientibus 2. F. 11.* Et deficientibus fratribus, fratrumque filijs, reliquos agnatos omnes secundum gradus (quem ex civili iure computari debere verius existimo *per tx. in c. vn. 2. F. 37. iuncto. c. vn. §. hoc quoque. 1. F. 8. c. vn. §. 4. 1. F. 1.*) prærogatiuam (cuius iure Sax. non habetur ratio sed tantum inspicitur, quinam simultaneè inuestiti sint, nisi in inuestitura disertè cautum sit, ut successio fiat secundum gradus prærogatiuam *nach rechter Sipzahl*: quâ simultaneâ inuestitura semel ruptâ, & diuisione factâ ius succedendi inter ipsos corrumpitur & extinguitur) in capita ad feudi successionem in infinitum admittimus *d. c. vn. 2. F. 50. c. vn. 2. F. 31.*

93. Sed iam quæritur, an agnatus vel filius possit feudum retinere repudiatâ hereditate? quæ anceps & intricata quæstio, per ea quæ tradit *Ro-fenth. c. 7. concl. 20. cum. seqq. & c. 2. concl. 33.* Puto expeditissime rem resolui ab illis, qui inter agnatum & filium distinguentes agnatum quidem feudum hereditarium repudiatâ hereditate retinere non posse, ex pacto & prouidentia posse: Filium vero siue hereditarium siue ex pacto, & prouid. aut vtrumque retinere aut vtrumque repudiare debere statuunt *c. vn. 2. F. 45. cum quo concordat tx. in §. filius. 2. F. 51.* Hinc si feudum sit hereditarium agnatus ad æris alieni solutionem tenebitur, secus si ex pacto & prouidentia, nisi de fructibus eius anni, quo vasallus moritur d. c. vel debita ratione feudi sint contracta, ad quæ etiam si defuncti hæres non sit tenetur. Filius autem utrobique. Sed num inuentarij confectio opitulabitur illi, ut alterum sine altero obtinere queat? Negatiua veritate theoreticâ inspectâ verior, quamuis plerique interpretum illum hoc casu ultra vires hereditatis ad debitorum paternorum exsolutionem non obstringi pietati & æquitati conuenientius putent,

94. Reliqui successionum ordines iure civili in defectum ceterorum heredum recepti, consuetudinibus feudalibus incogniti reprobantur, & deficientibus quos supra enumerauimus, feudum Domino aperitur. Vnde affinium & quorumuis aliorum extraneorum, coniugum, fisci nullam agnoscimus successionem.

95. Feudo itaque modis prædictis ritè constituto & acquisito nascitur inde ceu Effectus ex suâ causâ *IVS* ipsum vtendi fruendi in perpetuum *ET* vltro citroque *OBLIGATIO* quæ iuris vinculum est, quo ad mutuam fidelitatem, & officia mutuâ Dominus & Vasallus, ipsorumq; heredes sibi inuicem astringuntur *c. vn. in fin. 2. F. 6. c. vn. §. fin. 2. F. 22. c. vn. per tot. 2. F. 24. iuncto. §. Domino. 2. F. 26. c. vn. 2. F. 47.* & tam arcto quidem nexu, ut Dominus vasallum videatur habere in coniugem, *c. vn. in fin. pr. 2. F. 58.* vnde & ad paria iudicantur vt plurimum, neque enim, *vt vult gl. in c. imperialem. in fin. 2. F. 55.* quemadmodum vasallus domino, sic vicissim Dominus vasal-

vasallo fidelitatem iurare tenetur. *Schenck. L. B. & FF. communiter ad. c. vn. 2. F. 6.*

96. Vasalli officium in eo potissimum consistit, ut Domino Reuerentiam, obsequium & seruitia præstet militaria *c. vn. verb. salua reuerentiâ. 2. F. 22. c. vn. ibi, quam humili ter quam deuotè. 2. Feud. 23. c. vn. 2. F. 6. 7. c. 1. §. 2. 2. F. 34.* vnde nec dicam illi famosam dicere, nec accusare, nec testimonium contra eum ferre potest, §. *item si delator 2. F. 24. §. in quibus etiam. 2. F. 33.* si tamen dolo malo accuset tantum ad periculum & damnum domino creandum, secus si id fiat iuris sui tuendi gratia, & ut suam suorumque prosequatur iniuriam, quod facere ei licet, ut & excusabitur, si non sponte, sed ad testimonium perhibendum cogatur à magistratu vel iudice, *gl. in d. §. item si delator.* Sed num sine venia Dominum in ius vocare poterit? Affirmatiuæ, quam probat *gl. communiter recepta, in modo alleg. loc. 2. F. 22* calculum adiicio: quanquam hodie hæc quæstio, & totius istius edicti ratio non magnam videtur habere utilitatem vel effectum teste *V Vesemb. in par. de in ius voc. n. 12.* cum citationes semper ad humilimas supplicantium preces impetrentur.

97. Neque verò extra feudi naturam & obligationem Reuerentia hæc se extendit. Ideoque si Dominus mutuam pecuniam petat, vel fideiussionem ab ipso postulet, non tenebitur, *c. 1. §. licet. 2. F. 26.* debet tamen operam & diligentiam adhibere, ut possit alijs modis legitimis dominum liberare, *Rosenth. c. 8. concl. 28. n. 4.* Et hinc vasallus, quia vasallus ad præstandas collectas non tenebitur, quamuis ob publicam necessitatem ab illis se nequeat eximere, quod & vsus totius Imperij comprobatur, & in Camera practicatur, teste *Myns. cent. 4. obs. 70.* Accedit quod vasalli plerumque sint & subditi, quos collectare licet, *vide th. 47. in fin.* sed num inopem & egenum dominum alere obstringitur? Regulariter id nego. Si tamen dominus omnia sua bona in feudum concesserit, vel pro vasalli facto impenderit, & ob id postmodum egere cœperit, æquitas sanè aliud suadet, præsertim cum non de suo patrimonio, sed redditibus & fructibus feudi suppeditet alimenta *fac. l. 7. §. 1. l. 52. de vsu fr. l. 28. de vsu fr. leg.* ut hic procedere videatur argumentatio à liberto ad vasallum, *l. 5. §. 18. cum seq. de agnosc. & alend. lib.*

98. Obsequij quoque & reuerentiæ debitæ effectus in hoc consistit, ut si dubium sit quam rem nomine feudi vasallus à domino possideat, vel qui sint fines illius rei, aut alias domini intersit res feudales diligenter enumerari & describi, domino petenti eadem demonstret, *gl. in c. vn. §. illud quoque, verb. requisitus 2. F. 55.* instrumentaque inuestituræ ad minimum proximam confirmatæ edat, quod in eiusmodi instrumento super re communi confecto vtriusque interesse versetur *Rosenth. c. 8. concl. 33. n. 6.* etiam subvasallus domino maiori post *Ioh. Fabr. in §. præiudiciales l. de act. Vult. 2. feud. 3. n. 30.* quod tamen vix directo fieri posse putat *Rosenth. d. l. in gl. lit. d. sub fin.* quin



potius debeat à vafallo suo tanquam competente subuafalli petere, vt is mandet. Ab hac tamen editione liberatum volunt vafallum, si vltra 30. annos feudum quietè possederit, quod quoad possessionis titulum rectè procedet, per ea quæ th. 72. dicta sunt, secus autem erit, si alium in finem Dominus petat. E contrario quoque Dominus de feudo nouo maximè tenetur instrumenta feudalia seu libros aut registraturas, antapochas aut reuersales feudales, vafallis, si illi interessè doceant, edere.

99. Sed nobilissima & præcipua portio officij vafallitici vertitur in seruitijs feudalibus, commodum illud possessionis subsequenter quæ si inuestituræ formulâ expressa sint, vel longissimo etiam tempore determinata, ad alia non tenetur vafallus: sin minus, ea præstabit, quæ eiusdem conditionis qui sunt exhibent, attentis personarum feudorum ac regionum hoc casu circumstantijs, vt non nisi moderata, honesta & possibilia exigantur, ne vafalli officium superioris, quod possunt, implorare cogantur, vid. Geil. 1. obs. 17. & 2. obs. 62. num. penult. lib. 1. de pac. publ. c. 2. n. 22. Myns. cent. 5. obs. 8.

100. Præstat autem seruitia vafallus quotiescunque requisitus fuerit (nisi domino magnum periculum vitæque discrimen imminere sciat aut stans etiam diebus seruitia debeantur) vel in propriâ persona, vel per substitutû domino acceptabilem. illud si expressè cõuentum sit vel vafalli, consilio rei que militaris peritia pollentis, præsentia singulariter delecta, officiumque feudo adhæreat (quibus tamen casibus per filium vafalli æquè idoneum seruitia rectè præstari tradit Schrad. p. 6. c. 6. n. 53) Hoc si vel personæ qualitas, vel ætas, vel alia iusta causa à personali præstatione excuset. Et præstat ea principaliter & primariò domino immediatè proximo qui scilicet & vniuersalis dominus est 2. F. 54. in fin. 2. F. 55. S. illud quoque nisi mediatus simul sit patriæ Dominus, & pro ipsius salute bellum gerat, cui & tum debet succurrere, si aduersus immediatum dominum bellum eiusmodi moueat. Ceteroquin Dominus superior à subuafallo per latus saltem vafalli seruitia exigit, qui si officio suo deerit, etiam subtractione rei à superiore subuafallus poterit adigi Rosenth. c. 8. concl. 10. in fin.

101. Sed quid si vafallus plura feuda à diuersis dominis teneat & ij inter se bellum gerant? Antiquiori certè potius eum seruire oportet *ix in d. S. illud quoque*. semper enim is excipitur 2. F. 28. in fin. adeo vt nec iuniori per substitutû, nec per contributionem seruire teneatur *arg. l. 1. §. 12. de vi & vi arm. l. 5. C. de accus. cum sim.* nec consideratio diuersorum feudorum releuare vafallû potest, vt de comite Flândriæ, Arthesiæ, Brabantiæ &c. casum proponit, sed non omnino determinat Rosenth. d. c. 8. concl. 18. in fin. si vero contra diuersos eodem tempore arma moueant, antiquiori in personâ, iuniori per substitutum vel contributionem rectè seruiet. Quod si de antiquitate non constet, electio erit vafalli, cui potissimum in persona seruire velit.

102. E diuerso si plures vasalli vnum feudum possident, omnes ad seruitiorum debitorum præstationem in solidum obligantur. Sed hic omnino distinguenda sunt seruitia diuidua ab indiuiduis. Diuidua enim cū sunt, videl. si domino militanti certam pecuniæ summam conferre tenentur, singuli pro suâ ratâ soluere, & domino seruire debent, *c. 1. §. omnes filij. 2. F. 26. C. ibi FF.* At si indiuiduum sit seruitium & in faciendo consistat, singuli quidem in solidum obligantur *arg. l. 2. §. 1. l. 72. de V. O. sed vnus solutione ceteri liberantur, arg. §. 1. I. de inutil. stipul. d. l. 2. §. 2. de V. O. l. 1. §. 4. de eo per quē fact. cum semel & non pluries debeatur arg. l. 44. pr. de legat. 2. l. 3. §. 1. de duob. reis const. omnesque vnā tantum personam sustineant, arg. l. 5. §. 7. iudicat. solu. ideo plerumque eligi vnus ex ijs solet, qui seruitia præstet. Quod si inter vasallos, quis præstare debeat, non conuenerit, dominus eliget, à quo seruitia exigere velit, *arg. d. l. 2. §. 1. de duob. reis. const.**

103. Sed cuius sumptibus seruitia hæc præstanda? si quid de illis actum, conuentioni erit standum; alias regulariter suis sumptibus vasallus ea præstare tenetur *arg. l. 18. cum seq. de oper. lib. c. vn. verb. pro quantitate feudi. 2. F. 54. nisi feudum sit exiguum, aut Dominus extra territorium bella gerat, quod tamen ita accipiendum videtur, si Dominus velit de nouo acquirere prouinciam vel ciuitatem; nam si pro defensione patriæ in hostili terra, ex doctrina Politicorum, malit pugnare, tenebitur eum sequi. de iure autem Sax. receptum, vt vasallus domini expensis seruiat, quemadmodum & eodem iure Dominus, si dehinc alia sibi præstari velit seruitia feudalia, vasallo tenetur ad equi vel armorum in bello amissorum restitutionem *Lehenrecht c. 4.**

104. Quamuis autem vasallus ad seruitiorum præstationem promptus semper debeat esse & paratus, tamen si Dominus bellum notoriè iniustum gerat, non tenetur eum adiuuare: quemadmodum etiam si dominus hæreticus, bannitus, excommunicatus aut simili infamia notatus *c. vn. pr. 2. F. 28. c. fin. X. de heretic.* si feudum licitè alienans possessione non fruatur, aut alias sine culpa ipsius vasalli alius occupet & possideat. Nonnulli quoque existimant si vasallus ad solutionem dimidiæ partis totius feudi se offerat à præstatione illum personali liberari *§. firmiter. 2. F. 55.* qui tamen *§. loquitur tantū de casu quo Imperatori in expeditione publica seruiendum, vt si domini persona in magno sit constituta periculo iuramento satisfieri non putem nisi Dominum vasallus ipse iuuerit.*

105. *Iura porro realia* ratione feudi domino vel vasallo competentia sunt diuersa. Et domini quidem ius in directo eiusdem consistit dominio seu proprietate; vasallo vero cōpetit ius rei feudalis possidendæ, eiusq; vtile, quod alij iuris appellare malunt, dominium, idque hæctenus vtrique dominandi ius largitur, dum ALIENATIO nulla tenetur.

106. Regulariter enim nec dominus ius directi domini inuito vasallo (nisi fortè in Ecclesiam ius suum transferre velit, *c. vn. 2. F. 54.* alienare potest,

test, c. 1. § ex eadem. 2. F. 31. c. vn. 1. F. 22. §. Præterea. 2. F. 55. in tantum vt ob eiusmodi alienationem proprietatis caducitatem complures arguant, arg. §. domino committente. 2. F. 26. Si tamen iusta vel necessitatis, aliaue causa subfit, & translatio fiat in æquè idoneum (an idem si in potentiorè non puto) vasallis haud facillè licebit reluctari: & quamuis eiusdem curiæ vasallos simpliciter per diuisiones varias diuidere & dismembrare nequeat, cum Vniuersitate tamè & tota curia facilius ius hoc directi domini transibit, arg. d. §. ex eadem. l. 62. de A. R. D. l. 1. §. 1. de fund. dot. Sed quid si Dominus feudi habens iura Principis vasallos alienare & transferre velit? Sunt qui simpliciter negant, sunt iterum qui affirmant. Ego quantum ad principalem quæstionem cum illis facio, qui interesse putant, an subditi simpliciter Regi seu Principi sint subiecti, an verò certis foederibus, & legibus fidei quasi eius & beneuolentiæ commissi. Illos, cum sint plenariè subditi, puta bello subacti, liberè cum ditionibus alienare poterit: Hi, cum quoad plenitudinem potestatis subditi non sint, nec pro arbitrio poterunt alienari.

107. A parte Vasalli etsi olim variæ circa hunc articulum erant consuetudines ac sententiæ, vt patet ex c. vn. 2. F. 9. c. vn. 2. F. 44. c. vn. 1. F. 3. vbi gl. Hodie tamen sine Domini cōsensu alienatio prohibita est, c. imperialis. 2. F. 52. c. imperialem. 2. F. 55. Alienationis verò vocabulū latissimè accipiendū, vt quemlibet contractum, rem feudalem, seu ius in re feudali in alium transferentem complectatur, arg. l. 28. de V. S. l. fin. C. de reb. alien. non alienan. probant adducti modo txx. Sed tum demum facta reputatur, cum per traditionem res ex iusto titulo verè tradita est, d. §. callidis ibi, vendunt, & in alios transferunt.

108. Hinc Vasallus non potest feudum vendere (nisi proximis agnatis, c. vn. §. 1. 2. F. 3. apud quos eorūq; hæredes feudales perpetuò manet arg. §. si verò. 1. F. 13. & pretium inde redactum loco feudi non succedit, sed venditoris manet. An verò l. 2. C. de rescind. vend. in feudo licitè vendito locus erit? Affirmo. Sed quid si Vasallus poenitentia ductus feudum alij venditum tradere nolit, an ad rei traditionem vel interesse præstandum condemnabitur? Posterius probo, arg. l. 11 §. 2 de act. empt. l. 6. C. eod.) Permutare (etiam feudum aut partem eius sterilem permutando cum fertili, cum non commodum, vel incommodum, sed reuerentia domino debita eiusdem postulet consensum, c. 1. in fin. 2. F. 24.) Donare, in Dotem pro filia (ipsa tamen mulier potest, c. vn. 2. F. 13. cum patris in dotem datio sit alienatio, arg. l. 14. pr. ad L. Falcid. non quæ ab ipsa sit filia, arg. l. 75. de iure dot. l. 30. C. eod.) vel Propter Nuptias dare, §. donare. 2. F. 9. (Hinc licet vxor in bonis mariti tacitam habeat hypothecam, quoad sibi de dote satisfiat, non tamen eam habet in bonis feudalibus, Myrs. 6. obs. 45. de iure verò Saxonico & generali consuetudine mulier habet ius retentionis in bonis feudalibus, & alimenta, vsque dum dotem suam recipit: quin & dotalitium ex feu-

feudo constitui & præstari plerorumque Germaniæ locorum moribus cõ-
 probatur, idque in Marchia Brandenburgica pro onere feudali habetur à
 feudi successoribus præstandum, cum regulariter non nisi domino & agna-
 tis consentientibus constitui queat) in Emphyteusin concedere, *d. s. dona-
 re, vers. quis enim dubitat*, (quamvis de generali consuetudine Vasalli pas-
 cua, terras incultas, & eremos feudales in emphyteusin concedere soleant,
Vult. 1. Feud. 10. n. 64.) Oppignorare, *c. 1. in fin. 2. F. 8. c. 1. 2. F. 55.* Hypothecæ
 dare, *d. o. 1. 2. F. 55. arg. d. l. fin. C. de reb. alien. non alien. l. 5. §. penult. de pign. l. 1.
 pr. de pign. act.* quod alij malunt restringere ad casum, quo possessionis
 traditio insecuta, solam enim hypothecæ constitutionem caducum feu-
 dum non facere, probare volunt *ex d. s. callidis.* & vt maximè aliena-
 tionem ex huiusmodi hypotheca sequi posse dicas, extra tamen propo-
 sitionis terminos assumi arguunt, cum iam non propter hypothecationem,
 sed propter eam subsequenter alienationem feudo cadat Vasallus. Vide
 quæ pro negatiua doctè & eleganter tradit *Vult. 1. feud. 10. n. 54.* reliqua
 ipsi discursui latius examinanda relinquo.

109. Sed num hanc alienandi potestatem Vasallo in extrema etiam ne-
 cessitate famis vel alia aliqua constituto adimemus? rigore iuris inspe-
 cto, dicendum quod sic *per text. in c. 7. X. de constit. c. vn. pr. 2. F. 9.* vt maximè
 dura atq; inhumana, & à mutua vasalli & domini necessitudine abhorrens
 nonnullis videatur. Sane si alienandi facultatem petat à Domino, isq; nec
 emat, nec alienationi consentiat, licebit Vasallo alteri, modo æqualis vel
 melioris conditionis vendere. Pro necessitatibus tamen ex causa feudi in-
 cumbentibus rectè illud oppignorat Vasallus, *Sonsbec. p. 12. n. 100.*

10. Potest autem Vasallus in sui tamen præiudicium, non etiam Agnato-
 rum aut Domini, seruitutem realem feudo imponere, *per text. express. in c.
 1. §. quid ergo. 2. F. 8.* quin & vsumfructum; aut si maius ius percipiendi fru-
 ctus feudi, in re feudali eum constituere posse verius puto, *arg. §. 1. de vsu
 & habit.* vt tamen ipse Vasallus ad seruitutorum militarium præstationem
 obstrictus domino maneat, *Rosenth. c. 9. concl. 10. n. 5.* Et quæ de Emphyteu-
 si dicimus, volunt extendi ad longi temporis locationem, vt nec illa Va-
 fallo sit concessa, ideoque singulis nouenis annis renouanda, à quibus ta-
 men dissentire videtur *text. in c. vn. §. donare.* indistinctè loquens, cum nec
 dominium nec possessionem tribuat locatio, *arg. l. 39. locat. l. 10. §. 1. de A. vel
 A. P.* & tempus locationis conductionis naturam non immutet, *arg. l. 2. C.
 de præscript. 30. an.* vnde si ante finitum tempus locationis feudum domi-
 no aperitur, non tenebitur illi stare. Compromittere quoque in arbitrium
 posse txx. euincunt manifestissimi, *in c. vn. 2. feud. 15. c. vn. 2. feud. 46.* & fa-
 cit ratio, quod compromissum obtineat vicem transactionis, Transigere
 autem licitum esse Vasallo docemur, *ex c. 1. §. si Vasallus. 2. F. 26.* nec solum
 decidendi sed etiam feudum dimittendi causa, *arg. c. vn. 2. F. 43. Schenk. B.
 à Taut. ad d. §. si Vasallus.*



.ix. Vnde non immerito dubitare licet *cum Somb. p. 12. n. 97.* si tertius quispiam rem in feudum à domino datam vindicare tanquam suam intendat, & possessor vasallus transigat, vel alio modo victus succumbat, an Domino præiudicet? Et quanquam Dd. communiter distinguant inter directum & utile dominium, item scientiam & ignorantiam domini, *vide Rosenth. c. 9. concl. 22 per tot. præsertim n. 3. 4. 5. 12.* vix tamè aut ne vix quidem explicationem illam admittet *d. c. 2. F. 43.* quippe cum ibi disertè proprietas vindicabatur, eamque causam domino absente vasallus quasi procurator in rem suam solus agere poterat, ita vt Dominus, quod gestum fuit, ratum habere reneatur. Quæ omnia quomodo ad utile dominium in iudicium deductum, vel ad casum scientis aut ignorantis domini accommodari possint non video, vt non male ex natura feudi dici posset, in feudo speciale esse, maximè cum & *d. s. si Vasallus* in diuerso licet casu, parum momenti ponat in Domini scientia aut ignorantia; stante verò hac opinione ex natura correlatiuorum sententia contra dominum lata vasallo præiudicabit. Vbi rursus distinguunt Dd. an litis scientiã habuerit, & iuris sui deductione neglexerit *arg. l. pen. de re iudic.* Et vt quæstionum difficultates præcaueantur volunt, vt qui interesse aliquod prætereendere possunt, citentur, quod consilij loco suggerit *Geil. 1. obseru. 70. n. pen.* vel si præiudicium metuunt, vltro interueniant, seq; in iudicium non consentire palam protestentur. *adde Rosenth. d. c. 9. concl. 24. cum seq.*

.ii. Quemadmodum autem alienatio sine consensu domini & legis permissione facta illicita: ita consensu domini & Agnatorum vel legis accedente rata erit ac firma *c. 1. §. si vero. 1. F. 13. cum sim.* Consensum autem illũ & ante alienationem, & in ipso alienationis actu, & post alienationem factam rectè accommodari posse testatur *Vult. 1. Feud. 10. n. 49.* etiam post mortem Vasalli alienantis *ibid. n. 95.* Et quamuis vt plurimum in ijs, quæ magni sunt præiudicij tacitus aut præsumptus non sufficiat consensus, si tamen dominus præsens sit nec contradicat, vel si seruitia ab eo in quem alienatio facta est, acceperit, vel longum tempus sine contradictione elabi sinat, consensisse illum dicimus, *arg. l. 60. de R. I. Vbi Dd.* Agnatos autem eosue, quorum interest, vt alienationi consensisse censeantur, non sufficit actui fuisse præsentis, & tacuisse, sed necesse est, vt consensum suum verbis vel facto aliquo declarauerint *Hartm. Pistor. 2. q. 6. n. 1.* semel vero adhibitus consensus amplius penitentia locum non relinquit, *Vult. 1. feud. 9. n. 110.*

.iii. Ceterum pluribus existentibus dominis omnium requiritur consensus, adeo vt si quidam non consentiant, pro consentientium parte feudum saltem constituatur *arg. c. vn. 2. F. 38.* quod si domini existant subordinati, vt in subuasallo accidit, cuius requirendus sit consensus in diuersas partes à Dd. itum est, his superioris, illis intermedij exigentibus consensum. Nos cum vtriusque interfit, nec subinfeudans absque senioris consensu alienare queat, merito nec subuasallus *arg. l. nemo. de R. I.* vtriusque exigimus

gimus consensum. Prælati quoque vel Episcopus quamvis non sit Dominus proprietatis feudi, tamē si res infeudari solita consensum alienationi accommodare potest, sed tutius fecerit emtor, si consensum capituli adhibeat.

114. Consensus ille limitatus est personā, tempore, modo ideoque strictè accipiendus, nec de persona in personam nec ad certam alienationis speciem directus in aliam extenditur: unde licentiā data alienandi in Caium, in alium quā Caium facta alienatio nulla est; & consensu de vendendo impetrato non licebit permutare, vel hypothecæ dare. Dominus autem qui alienationi consensit iuri suo directo nihil præiudicasse præsumitur, nec in persona emtoris feudum allodij naturam assumit, etiam si concessum sit vasallo, ut ipse habeat, & cui illud dederit, ubi difficilis occurrit nodus inter *S. feudum 2. F. 26. C. 7. 2. F. 48.* verius tamen videtur, domino iuris directi effectum non statim omnē ademptum censerī, nisi id expressè actū sit. Præiudicat autem sibi Dominus in onere feudi, feudo ad se deuoluto *arg. c. 7. S. si vero. 1. F. 13.* nec onus illud excutit clausula, salvo iure suo, adiecta; intentio enim contrahentium & tenor consensus contrarium suadet, *arg. l. 13. de min. l. 89. de cond. & demonstr. Fach. 6. cont. 56.* sed num hoc casu ad vsuras quoque, fructus & interesse tenebitur? videtur quod sic non enim hoc casu dissimilis est causa domini & fideiussoris *arg. l. 56. S. 2. de fidei l. 54. pr. locat.* Quod si non consentiat, & tamen ex consuetudine loci id oneri æris alieni obnoxium, non tenebitur, nisi quatenus æs alienum pro debitis necessarijs, alias ex feudo præstandis, contractum est.

115. Et quamvis agnatorum quoque consensus ad perfectam alienationē (modo non à principio feudū cum libera potestate alienandi concessum sit, tum enim alienationem agnatis præiudicare tradit Rosenth. *c. 9. concl. 42. n. 1. & 4.*) requiratur in feudo antiquo, sit tamen interdum, ut sine etiam illorum consensu licitè alienetur domini consensu, aut consuetudine vel statuto illud permittente, sed agnatis REVOCATIO concedatur: idque *vel iure successionis vel προτιμίσως seu retractus.*

116. Multum autem interest, feudum alienatum antiquum sit vel nouum: pater an agnatus alienet: filius an agnatus reuocare intendat: itemque iurene protimiseos, vel successionis. His enim probè attentis facile quasuis tricas euitabimus. Nouum enim feudum cum consensu alienatum ne quidem à filijs, multo minus ab agnatis reuocari potest, nisi forte an ius aliquod in feudo illo nouo quæsitum habeant *Myns. 4. obs. 45. n. fin.* de antiquo res magis dubia, quam tum tertiā nostrā cautelā, tum feudorum in hereditaria & pactitia distinctione adhibita decidemus pendentque maximam partem ex illis, quæ de successionē *th. 93.* diximus. Quod si non pater, sed agnatos duntaxat relinquens vasallus feudum antiquum alienet, & mortuo vasallo iure successionis reuocatio contingat, tenetur agnatus, si heres sit vltimi vasalli, tam in feudo pactitio, quam hereditario ad factum defuncti præstandum, & si inuentarium confecerit, eius beneficio gaudebit, *vid Fachin. 7. controu. 13.* sin iure protimiseos, viuo adhuc alienatore, in remotiorē agnatum alienatum reuocare intendat, id intra annum

E

& diem



& diem à tempore legitimæ ac plenæ scientiæ facere debet, cum refusione in extraneum licet alienatio facta sit, precij, quod emtor soluit, vel sine fraude soluere paratus fuit: mortuo autem alienatore, etiam sine precij refusione, à proximo remotiore intra annum & diem, vel 30. ann. ab extraneo §. Titius. 2. F. 26. §. sed etiam res. 2. F. 3. §. porro 2. F. 9. §. seu autem. de iur. protim. Rosenth. c. 9. concl. 36. & concl. 95. n. 5. Vult. 1. feud. 11. n. 186. cū seqq. Tempus autem 30. annor. etiam si proximioribus præterfluxerit, reliquis tamen in gradu sequentibus agnatis integrum sua occasione restat Hartm. Pistor. qu. 8. n. 45. Fachin. 7. controu. 12. Filius quoque iure protimeseos viuo patre refuso precio reuocare feudum potest. Myns. cent. 4. obs. 85.

117. Alienationi non absimilis videtur SVBINFEVDATIO quæ est actus, quo vasallus feudum quod habet, vel totum, vel partem eius ahij legitimè concedit, 2. F. 3. §. sed etiam. 2. F. 9. §. si vero. 2. F. 26. §. beneficium. 2. F. 34. §. similiter. & ibi FF. Rationem autem concessæ subinfeudationis ponunt nonnulli in eo, quod sit donatio quædam, ad quã homines non tam procliuës quam venditionem, videtur etiam apta ratio peti posse ex l. 7. §. 3. de bon. dam.

118. Vt autem subinfeudatio illa procedat tria copulatiuè cõcurrant necesse est I. vt vasallus sine fraude alteri concesserit nõ permiscendo occultam venditionem, vel aliud in fraudem domini. Sed num ob solum precium vel laudemium acceptum in fraude cõstituetur? Non puto. II. vt fiat subinfeudatio personæ æquali. An etiam maiori? Disting. inter maioritatem officij ac dignitatis, & habilitatis ad seruiendum. III. Vt fiat sub iisdem pactis & conditionibus, quibus infeudans accepit. An nõ igitur licebit modo arctiori? vtique per c. extraord. 108. Cum verò subinfeudans non plus iuris in subinfeudatum transferre queat, quam ipse habet cõsequenter resolutio iure dantis resoluetur ius accipientis, 1. §. rursus. 1. E. 5. c. extraord. 73. ex æquitate tamen plerique ita subinfeudatum feudum retinere statuunt. §. si vero 2. F. 9. quem §. alij interpretantur de casu, quo dominus subvasallum recognoscit, vel quo subinfeudans culpã suã feudum amittit.

119. Vicina subinfeudationi respectu vasalli est REFVTATIO quæ definiri potest actus, quo vasallus feudum quod habet alteri licitè, liberè & tempestiuè cedit. Fit hæc refutatio vel in manus domini, vel agnatorum: illa propria, hæc impropria dicitur. Et quidem si feudum nouum domino refutetur, pleno iure ad ipsum redit; si antiquum, quoad vitam refutantis agnatis præiudicatur: Si remotioribus agnatis refutetur, proximiores licito modo reuocabunt. Et cum refutandi facultas iure data sit, licet inuito etiam domino refutare, nulla etiam stipulationis vel interesse habita ratione, cum stipulatio naturam actus non immutet, l. 5. §. conuentionales. de V. O. l. 4. pr. de vsur. Gothofr. ad rubr. de V. O. An dominus quoq; inuitum vasallum poterit liberare, vt eum vasallum amplius non habeat? casus vix metuendus. interim non potest non licere domino, quod vasallo licet.

120. Quemadmodum autem feuda certis modis acquiruntur, ita vicissim quoque amittuntur. AMISSIONIS verò causæ potissimum tres: *Voluntas, Casus & Culpa*. Et voluntate quidem vel tacita, puta præscripti one (vide

de th. 73.) vel expressa, refutatione scil. de qua th. præc. & remissione que fit vasallo à domino, c. 1. pr. 2. F. 49. c. vn. 2. F. 44. casu, si res interierit incendio, chasmate, terræ motu, inundatione, vel calamitate belli cum prædia occupantur ab hostibus, §. *finitur* 1. de vsufr. l. 15. §. 2. locat. l. 30. §. 3. de acq. vel am. poss. in quo loco delenda negatiua non, aut legendum nos.

121. Præcipua verò amissionis causa est culpa vasalli vel in Dominum, vel in alium commissa, quæ sub Feloniæ vocabulo comprehenditur, eiusq; species aliquot recensentur, in c. vn. 2. F. 24. vt sunt inuestitura intra legitimum tempus intermissa petitio pr. d. t. contumacia vasalli ad fidelitatem præstandam citati, non comparentis *vers. est & alia*. denegatio seruitiorum *vers. sed non est alia* inficiatio feudi §. *vasallus*. 2. F. 26. alienatio illicitè facta, de qua *superius* (etiamsi in continenti recuperet c. vn. 2. F. 44. arg. l. 65. de furt. l. pen. vi bon. rap. l. 17. §. 2. de edil. edict.) item si in prælio campestri periclitantem dominum deseruerit *vers. item qui*. (in tantum vt licet Dominus vel victoria obtenta, vel fuga arrepta saluus euaserit, feudo nihilominus cadat vasallus arg. l. 3 §. 15 de remil. si tamen lethaliter vulneratum, hoste sc. vincente, deseruerit excusabitur, Rosenth. c. 10. concl. 16. num. 18.) si insidias vitæ domini struxerit *vers. porro*. (non si in nudis minis perstiterit, 2. F. 51. §. si vol. erit.) si graui iniuria reali vel verbali affecerit, d. *vers. porro*. si secreta domini propalauerit, c. vn. 1. F. 17. si filium dominum offendentem non eduxerit vel sistere recusat, 2. F. 55. §. *insuper*. si in perniciem domini cū inimicis eius amicitiam colat, 2. F. 57. si dominum iniuste carceribus inclusum non liberarit cum potuerit, *vers. item si delator*. si dominum accusauerit, §. *similiter*. 2. F. 23. adde th. 96. (num vero hoc ad aduocationem extendemus? Negatiua probabilior arg. l. 14. §. 9. de bon. lib.)

122. Per consequentiam quoque in dominum committitur felonia, si personis potestati affectiuè eius subiectis iniuria infertur, veluti si vasallus dominum cucurbitet, h. e. stuprum domini vxori, viduæ, (num concubine? Neg.) Sponsæ, filiæ, nepti ex filio, item nurui, matri, sorori adhuc in domo domini manenti, quæ dicitur in capillo, h. e. interpr. Hotom. quæ nupta nō est, quāuis volentibus & cōsentientibus, inferat aut inferre exerceat, 1. F. 5.

123. Sed non tantum ob delictum directo vel per indirectum in dominū sed etiam aduersus alium cōmissum priuatur vasallus feudo, vt si parricidium fratri suo aut filio eius inferat, (ob homicidium enim etiam aduersus domini fratrem commissum regulariter non priuatur, 2. F. 37. pr.) conuasallum tradat d. c. 37. maiestatis crimen incurrat (non tamen indistinctè ob quæuis crimina publica feudum amittit) quibus addi potest incestus. *Sonsbec. p. 12. n. 52*. Sic ipsius quoque rei læsio seu deterioratio enormis caducitatem causatur c. vn. §. *quicumque*. 8. & ibi FF. 1. F. 27. ad quam deteriorationem refertur fauitia vasallorum in subditos, quam coërceri publice interest, *vid. th. 99. in fin.* fauitiæ species est denegatio iustitiæ d. c. vn. 2. F. 24.

624 Plures sunt feloniæ species, quæ omnes quidem iure feudali definitæ non sunt, ex ijs tamen quæ expresse depeudent quarum varietas fidei & arbitrio iudicis discreti & solertis dirimenda est §. *prædictis* 1. F. 24. ex quoi
tamen.

tamen loco nõ rectè licet inferre, quod ex quibus causis filij exheredari &c. possunt ex iisdem quoq; vasallus feudo priuetur, quia hoc simpliciter acceptum absurdas parit inductiones. Et prædictis quidem modis feudum amittitur, vt tamen sententia priuationis declaratoria requiratur, nisi culpam vel feloniam commisit vasallus actu permanentem quo casu de facto Dominus possessionem feudi occupare potest, *Gail. 2. obs. 51*

125. Amissum vero feudum quibus applicari debeat, dubium semper fuit questionis. Distinctionibus res erit expedienda. Feudum nouum quocumque modo amissum domino cedit §. *his omnib. 1. F. 8. §. si vasallus. 2. F. 26. §. callidis. 2. F. 55.* Feudum antiquum, si in dominum commissum sit delictum, ad eundem redit. §. *denique. 2. F. 24.* An autem perpetuo, vel saltim ad vitam delinquentis vasalli? Posterius *ex c. 78. & 98* tanquam æquius, & quo vtrique tam domino quam agnatis prospicitur, nonnulli amplectuntur. Sed cum illa æquitas nullo certo (extraord. enim c. partim dubia, partim sibi contraria) nitatur, periculosa videtur illa assertio. Et propter rationis identitatem idem forte dicendum, si ob non petitam inuestituram, vel alienationem sine consensu domini factam feudum fiat caducum, quamuis hinc malim sequi illos, qui hoc ad vitam vasalli delinquentis restringunt, *arg. c. vn. pr. 2. F. 31. Si delictum non in Dominum sed alium committitur, filius delinquens præiudicat d. §. si vasallus. 2. F. 26, non agnatis, ad quos statim deuoluitur, d. c. vn. 2. F. 31. & ibi Schenck. Bar.*

126. Fructus tamen feudo ob feloniam amisso ante delictum perceptos indistinctè lucratur vasallus, *arg. l. 48. de A. R. D. à tempore commissæ culpæ perceptos & percipiendos domino vel agnatis restituere tenetur: extantes autem simpliciter amittit Rosent. c. 10. conc. 42. n. 30. cum seqq.* Ob extinctam lineam aperto feudo diuisio fructuum iuxta §. *his consequenter. 2. F. 28.* ineunda erit, interdum tamen etiam distributio *l. diuortio (aliàs fructus) 7. solut. mat.* potest esse æquissima, vt in piscibus in stagnum immixtis. Impensæ quoque & meliorationes siue intrinsecæ siue extrinsecæ à vasallo in feudo sine culpa finito & ad dominum vel agnatos reuerso factæ ad vasallum eiusque heredes allodiales pertinent, ita vt deduci, etiam sine compensatione cum fructibus perceptis, vel repeti possint, *Rosent. d. concl. 43. 44.*

127. Restant iam ACTIONES & IUDICIUM FEVDALE, vbi primò considerandum, quænam actiones feudi nomine competant. Et quidem vasallo contra Dominum de feudo promisso agenti, dabitur actio pro modo factæ promissionis: si verò traditum sit feudum, idque ad alium peruenerit, potest tanquam dominus à quolibet possidente sibi quasi vindicare §. *rei autem. 2. F. 8.* quin ad iura quoque feudo inhærentia actione negatoria vel confessoria vti potest. *d. §. rei. datur itidem vasallo actio euictionis d. c. vn. pr. 2. F. 8. c. vn.* Quin & possessorij iudicij remedia vasallis quam maximè competunt, non solum retinendæ vel adipiscendæ, sed etiam recuperandæ possessionis vnde vi, aduersus ipsum quoque dominum, *Vult. 2. Feud. 1. n. 23.* Domino è contrario datur contra vasallum directa vindicatio si vel neget rem in feudo datam, *c. vn. §. si vero. 2. F. 2.* vel feudum causa præuia repetit, quæ ob causam & condictio causa data causa non secuta eidem conceditur, *1. F. 21.*

128. Reliquum est, vt quis iudex competens sit indigemus. Et est aut contentio inter vasallos de feudo regali, & solus Imperator, exclusam etiã Camera, cognoscit; aut non regali, & tunc vel inter vasallos controuersia, & præuentio locum habet *Gail. 1. obs. 29.* vel inter dominum & vasallum & pares curiæ iudices erunt *c. 1. F. fin. 2. F. 55. c. 1. §. si inter 2. F. 39.* in reliquis iudex competens est Dominus feudi. Processus quocumque feudalis in plerisque conuenit cum civili, in aliquibus discrepat, quæ passim apud Dd. extant. Sed hic digitum intendisse sufficiat, cum exactiorem deductionem instituti mei, temporis & currentis præli ratio non permittat,

F I N I S


IMMORTALES IMMORTALI GRATIÆ.

X 2874408

94 A 7386

VD 17







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

35.



EVDALIS

etitis ac insertis

IS

SIN

ementiâ,

vs

VV. ac DD.

o, I. V. Doctore, &

S. LL. Licentiatu,

& Fisco.

od in celeberr Agrippi-

Acroaterio

ioni submittit

ecâ-Saxo,

die 25. April.



PPINÆ,

ope Augustinianos.

